

Z C  
3949



XV, 67.

Ms 405.

I

N

q

f

p

l

M

A

P

qu

ru

S

f





05. IV. 405  
DE M. CYRI

ACO LINDEMAN.

NO, SCHOLAE GOTHANAE

quondam Præceptore, Optimo, Docti-  
simo, Religiosissimoq; Oratio. In qua  
potissimum de gubernatione eius Scho-  
lastica, docendiq; ratione commodissi-  
ma agitur: scripta, & habita finito

Examine autumnali in Scho-  
la Coburgensi.

A

M. IOHANNÉ DINCKELIO,

Pastore & Superintendente Gene-  
rali, eius Discipulo.

ADDITÆ SVNT,

PRAETER EPICEDIA, EPISTOLAS  
quadam Paræneticæ Lindemanni, in quibus instituendo-  
rum Studiorum aliqua ratio monstratur: & de eadem re

Consilium Celeberrimi Viri Dn. M. Iohannis Rose,

Professoris in Academia Ienensi quondam

laudatissimi, Fratri præscriptum.

Studio & opera M. Cyriaci Snegassij, Pa-

storis Fridrichrodensis, in Sylva Sema-

na, & Superinten. Vinarientis

Adjuncti.

Erffurdia, Impensis Ottobonis à Rißwick. 1593.

\*

4239



IN ORATIONEM  
Dinckelianam, Epi-  
gramma.

**V**tilis est terris, est acceptabilis astris,  
Fidi Padonomi facta referre, labor.  
Nam multum multis profunt exempla bonorum,  
Et pia fata pios interijisse vetant.  
**DINCKELIVS** grata decantat voce **MAGISTRI**  
**LINDMANNI** laudes: dignus & ipse cani.  
Ecquis opus poteris pietatis carpere? carpit  
Mens mala: collaudat mens pietatis amans.

M. Cyriacus Snegassius.



Magnificis,



MAGNIFICIS,  
PIETATE, DOCTRI-

NA ET DIGNITATE PRAESTAN-  
sibus Viris: Dn. IOHANNI MARTINI, Illustrissimo  
Principis ac Administratoris Electoratus Saxonici Secre-  
tario Vinarie grauisimo: & Dn. VENDELINO RE-  
GIO, Illustrissimorum Principum ac Ducum Sa: onia in  
municipio Alstatensi Praefecto fidelissimo, Dominus  
ac Amicis suis reuerenter colendis.

S. P. D.



Vnquam disce-  
dit ex animo meo, Orna-  
tissimi Viri, Domini atq;  
Amici ex primorum pu-  
critiae Annorum consue-  
tudine mihi charissimi,  
Optimi & Doctissimi Viri M. Cyriaci  
Lindemanni Praeceptoris nostri laudati-  
ssimi memoria. Tanta enim eius in me  
sicut & caeteros meos commilitones sunt  
merita, vt nisi ea cognoscerem, crebro  
perpenderem, atq; praedicarem, in Deum,  
qui per hunc Virum tanta beneficia mi-  
hi exhibuit, impius esse viderer. Hanc

A 2

ob



Ob causam lætor, quoties cum æqualibus,  
de hoc tanto Viro colloquendi, aut eti-  
am ea quæ sub eius disciplina inter æqua-  
les euenere repetendi, mihi offertur oc-  
casio: qualis erat, cum te VVENDELI-  
NE, Anno octuagesimo octauo, Mens.  
Febr. cum ab Illustrissimo nostro Princi-  
pe ac Dn. D. IOHANNES CASIMIRO,  
Duce Saxonix, &c. ad Visitationem in  
municipio tibi commendato missus es-  
sem, improviso offendebam, cum totis  
viginti sex aut septem annis, id est, toto  
eo tempore, quo ex Schola Gothana  
vterq; discesseramus, nihil de te audiuis-  
sem, nec te eo loco viuere à quoquam re-  
sciuissem, nec tu me prima facie agnosce-  
res, nec fortassis agnouisses, nisi nomine  
audito, ex me, an Scholæ Gothanæ Di-  
scipulus fuisset, quæ fuisses? Meministi  
sine dubio, quàm suauissimus inter nos  
de rebus scholasticis fuerit sermo benè  
longus, ad multam noctem, de Præce-  
ptoribus Dn. PANCRATIO, Dn. M:  
LINDEMANNO, de Condiscipulis  
compluribus per diuersas regiones hinc  
indè dispersis, quorum quidam mortui,  
quidam in Ecclesijs, Aulis, Academijs,  
Vrbibus



Viribus præclaris, Deo & hominibus in  
suo vitæ genere seruire deprehendeban-  
tur. In horum numero, tui, IOHAN-  
NES MARTINI, & Conterrancorum  
tuorum IOHANNIS HOLDERI Poë-  
tæ felicissimi, beatæ memoriæ, & IO-  
HANNIS LEHMANNI Medicinæ Do-  
ctoris, & multorum aliorum honorifica  
fiebat mentio, cum postridie cum alijs  
Consiliarijs Vinariensibus ijsq; laudatissi-  
mis, his nostris sermonibus nobis vtrinq;  
suauissimis interuenires, & nostræ dele-  
ctationi quasi accessionem quandam ad-  
jungeres. Si veró quisquam ex me, quæ  
nam tanta in me M. Lindemanni sint  
merita, sciscitetur, huic sine cunctatione  
& ingenuè respondeo: Docuit me fide-  
liter fundamenta latinæ Grammaticæ, si-  
cut ætas mea id temporis requirebat, non  
admiscens aliena, Græca, vel similia, quæ  
suo tempore subsequerentur. Nouerat  
enim Optimus & Doctissimus Vir, quic-  
quid sine his fundamentis probè jactis  
ædificatur, suo opte impetu turpiter corru-  
ere, quod ex Quintiliani Libro 1. Cap. 7.  
verbis didicerat, dicentis:

A 3

Nomina



Nomina declinare & Verba inprimis Pueri sciant, neq; enim aliter peruenire ad intellectum sequentium possunt, quod admonere superuacaneum erat, nisi ambitiosa festinatione pleriq; à posterioribus inciperent. Imò Cap. 2. inquit: Ipsius Magistri, si tamen ambitiosis vtilia præferet, hoc opus sit, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non statim infirmitatem onerare discipulorum, sed temperare vires suas, & ad intellectum audientis descendere. Nam vt vascula oris angusti superfusam humoris copiam respiciunt, sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur: Sic animi Puerorum quantum excipere possint, videndum est. Nam maiora intellectu velut parum aptos ad percipiendum animos, non subibunt. Hanc docendi rationem si inepti & ambitiosi Præceptores imitarentur, non tot ingenia à studijs absterrentur, & plura ad frugem maturius peruenirent. Hoc beneficium rectæ institutionis & tantum & tanti æstimo, vt nulla re parem gratiam vel ipsi, si videret, vel ipsius liberis referre me vllomodo posse planè mihi persuadeam.

Chunradus



Chunradus Lycoftenes infinitæ Vir le-  
ctionis, exactiffimiq; iudicij C. Plinij Cæ-  
cilij Nouocomenfis vitam, ex eius Epi-  
ftolis, excerptam descripsit, operiq; Epi-  
ftolarum præfixit, in ea inter cætera hæc  
habet: Fabium Quintilianum primæ pu-  
eritiæ Præceptorem, senem jam & pecu-  
nia carentem, dote & omni impensa ma-  
ritandæ filiæ neceffaria ornauit, & quin-  
quaginta millia nummum, id est, 1562.  
Daleros cum dimidio, vt fecundum ma-  
riti conditiones veftitu fimul ac comita-  
tu inftrueretur, quafi Parens alter contu-  
lit. Hic Plinius junior quanta gratia Præ-  
ceptori deberetur intellexit, & referre  
potuit, & merito, fi quidem rectè & ordi-  
ne cum duxit & docuit, monfttrauit eti-  
am quid nos Præceptoribus debeamus.  
Verùm parem facultatem omnibus Di-  
fcipulis non effe, hoc est quod conqueri-  
mur, Interim alia via gratitudo aliqua est  
oftendenda. Ad hunc finem orationem  
breuem, eo modo qui noftre Scholæ Di-  
fcipulis conueniret fucciffuis horis, de  
M. Cyriaco Lindemanno, confcipfi, &  
finito Examine autumnali recitavi. In  
ca tantummodo, quæ ad vitam ejus scho-



Iasticam & modum docendi, quo uteba-  
tur, spectant, complexus sum, cætera stu-  
diose præteriui. Hanc Pastores quidam  
in vicinia nostra vt ederem, institerunt.  
Res magni momenti non est, ideò me fa-  
cilè exorari passus sum. Videbam autem  
Testibus mihi opus esse & Patronis. Suc-  
censebunt enim mihi ambitiosi quidam  
Præceptores, qui tantum aliena, magna,  
celebrium Autorum dicta græca, fabulas  
longas, & similia peregrina, magno cum  
labore Pueris tenellis, qui Declinationes  
latinas nondum tenent, inculcanda pu-  
tant, de quibus nihil intelligunt, imò  
quibus obtunduntur, & ad desperatio-  
nem adiguntur, vt aut studia ipsi relin-  
quant, aut cum nulla profectus spes est,  
cum multos Annos non necessaria didi-  
cerint, à Parentibus ad aliud vitæ genus  
necessariò adhibeantur. Ad hoc officii-  
um Testium & Patronorum, vos ampli-  
ssimos Viros adhibeo, qui hoc laudatissi-  
mo Præceptore etiam vsi estis, & sine du-  
bio hanc tanti Præceptoris in docendo  
dexteritatem sæpenumero grata mente  
recolitis, & celebratis. Et de ijs quæ nar-  
raui, loco omnium huius Viri Discipulo-  
rum, testari rectè potestis. Volui



Volui etiam animum meum, qualis  
adhuc erga vos à tempore tyrocinij no-  
stri sub huius Præceptoris institutione  
esset, ostendere. Veram enim Quintilia-  
ni sententiam esse, quam Lib. 1. Cap. 2. de  
Amicitijs scholasticis scriptam reliquit,  
in memetipso experior. Mirto amicitias,  
quæ ad Senectutem vsq; firmissimè  
durant, religiosa quadam necessitudine  
imbutæ. Hoc meum studium vt in meli-  
orem partem interpretemini peraman-  
ter oro. Scriptum Coburgi, Anno  
nouissimi & periculosissimi temporis,  
XCII. ipso brumæ die, siue Lucix, quæ  
pudicitiam suam vi illata expugnari aut  
violari non posse, dum mentem à turpi-  
tudine integram seruaret, ante supplici-  
um piè respondebat ei, qui nisi Idolis sa-  
crificaret, ad lupanar eam trahi iubebat.

*Vestra Magn. & Præstan.  
Observantiss.*

*M. Ioh. Dinkelius, Pastor Co-  
burgensis, & ibidem S. G. in  
Schola Gotbana ante Annos  
triginta duos, vester Condisci-  
pulus.*

A 5

Mirificè



DE M. CYRIACO  
LINDEMANNO,  
Oratio.



**M**irificè delector  
Reuerendi, doctrina &  
prudencia Ornatissimi  
Viri, hisce laboribus &  
congressibus scholasti-  
cis, adeò vt à grauiori-  
bus mei officij laboribus & molestijs ali-  
quam mihi dari vacationem sæpiùs ex-  
optem, quò crebriùs inspicere, & si ne-  
cesse sit, aliquid etiam pro mea tenuitate  
huic Scholæ nostræ opis afferre possim.  
Quod eò faciliùs, modò tempus ociumq;  
suppeteret, mihi foret, quòd naturæ quo-  
dam ductu, & inclinatione peculiari vo-  
luntatis meæ ad has operas propendi, ad  
quam exercitatio complurium Anno-  
rum accessit, quæ me ita confirmauerat,  
vt ab hoc vitæ genere me inuitum & ter-  
giuersantem abstractum esse, multi boni  
Viri nouerint. Verùm cum nec in Dies  
singulos,



singulos, nec præterea statis temporibus  
me huic operæ addicere liceat, certè huic  
tempori & loco, & quod dicitur, scenæ  
inferuire, & ad testificandum animum  
meum aliquid saltem afferre debere exi-  
stimo. Hætenus enim his octo Annis,  
quibus hîc vixi, à Dominis Rectoribus,  
& proximo etiam Examine à Domino  
Prorectore, multæ habitæ sunt Oratio-  
nes eruditæ & elaboratæ, vt necessitatem  
aliquam & locus, & tempus, & ordo mi-  
hi, quamuis non ita ornatè politèq; di-  
cendi imponere videantur. Afferam au-  
tem argumentum huic loco, vt mihi vi-  
detur, admodum conueniens, vt & grati-  
tudinem meam, erga Præceptorem opti-  
mè de me & multis alijs meritum osten-  
dam, & Discipulis hujus Scholæ nostræ,  
vtiles admonitiones subiiciendi occasio  
mihi præbeatur, & dicam de optimo Do-  
ctissimoq; Viro, Domino M. CYRIA-  
CO LINDEMANNNO, qui cum maxi-  
ma discipulorum vtilitate multos Annos  
diuersis in locis, præcipuè verò Gothæ,  
labores docendi diuturnos grauissimosq;  
fastinuit. Si verò quisquam putabit, hoc  
argumentum minus huic loco conueni-  
re, quod



re, quod optimus Vir non hîc sed alibi  
docuerit, ideoq; plærisq; aut etiam omni-  
bus hîc præsentibus ignotus sit, huic &  
rationibus & exemplis possum respon-  
dere. Nam ea, quæ vt Discipulus tanti Vi-  
ri, eo tempore obseruauit, & nobis jam  
profutura omninò mihi persuadeo, &  
sæpe cum in Scholis tum in Academijs,  
de eiusmodi personis Orationes institu-  
tas esse, quæ multis annis nos præcesse-  
runt, nemo nostrum est, cui obscurum  
sit. Præterea ita moderabor totam nar-  
rationem, vt potissimum ea attingam,  
quæ ad vitam scholasticam spectant, &  
certam utilitatem nobis pollicentur. Si  
quam molestiam vobis de homine igno-  
to narratio asperget, eam utilitas insignis  
delebit: ideoq; rogo peramanter, vt æquas  
aures & paululum temporis mihi tribua-  
tis: quod cum vos facturos nullo modo  
dubitem, breuiter quod proposui, confi-  
cere, Dei ad iutus auxilio, studebo.

Antequam autem ad cætera acce-  
dam, hoc minimè puto reticendum,  
quod Magno illi Germaniæ Prophetæ  
Luthero sanguine iunctus fuit, cum Ma-  
ter Lutheri ex familia Lindemannorum  
fuerit.



fuērit prognata, atq; soror Aui hujus  
Lindemanni, de quo jam verba facimus,  
extiterit, vt eam Amiram magnam rectē  
appellauerit. Vnde apparet, hunc M.  
Lindemannum Luthero Diuo in tertio  
Consanguinitatis gradu lineæ inæqualis  
iunctum fuisse, à quo etiam viuente mul-  
tis beneficijs se affectum fuisse, literis quas  
ad Theodoricum Lindemannum Con-  
sulem Dresdensē scripsit, testatus est.  
Hanc narrationem confirmant & scri-  
pta publicè edita, quæ in tertio Tomo  
Intimationum Vitæbergensium sub An-  
no 1558. reperitur hisce verbis expres-  
sum. Mater Reuerendi Viri D. Martini  
Lutheri nata fuit in familia Lindeman-  
norum, Cognata Viri Clarissimi D. Lau-  
rentij Lindemanni. Hanc cognationem  
recitauit etiam mihi Frater M. Cyriaci  
honestus Ciuis, & Senator Reipubl. Go-  
thanæ Nicolaus, cum altero Anno ab  
hujus Cyriaci obitu, de ejus Die natali &  
similibus sciscitarer. Ex hac honesta fa-  
milia natus est Anno 1516. noster Lin-  
demannus, cum Patrem haberet Iohan-  
nem, patria quidem Isennacensem, sed  
factum Ciuem Gothanum, hunc amisit;  
cum



cum esset infans duorum aut trium An-  
norum. Educatus autem est à Matre Do-  
rothea, & Vitrico Melchiore Keuthio,  
qui nomen honestum post obitum, qui  
accidit Anno 1556. Die Martij 22. Gotæ  
etiam reliquit, cum eo Anno, quo obiit  
Consul fuisset designatus. Quæ studia fu-  
erint iuventutis, non attinet scrupulose  
rimari, cum eruditio insignis, qua prædi-  
tus erat, ostenderet, magnam in studijs ab  
ipso adhibitam fuisse diligentiam. Cum  
Vitæbergæ aliquandiu versatus esset, vo-  
catus est Anno 35. ad functionem scho-  
lasticam à Senatu patriæ, quam ad sesqui-  
annum quidē sustinuit, sed deinde amo-  
re discendi Vitæbergam redijt, & ibi vsq;  
ad Annum 39. hæsit, quo vocatus est Fri-  
bergam, cujus Schola à multis Annis,  
cum propter diligentiam Præceptorum,  
tum Ciuium pauperes Scholasticos satis  
liberaliter recipientium beneficentiam,  
celebris fuit, & hodiè etiam bene audit,  
imò quosdam ex nostrorum Ciuium Fi-  
lijs, & multos ex vicinia nutrit. In hoc  
suo officio fidelis & diligens ad Annos  
quinq; perstitit, dum demùm Anno 43.  
Vitæbergam se conferret, & Magisterij  
gradu.



gradu ornaretur ætatis Anno vicesimo septimo. Facile autem potest judicari, quantoperè ejus Doctrina Præsidibus studiorum fuerit probata, cum inter 29. Competitores locum quintum ipsi tribuerint. Diu autem in Academia, juxta votum, morari non potuit, sed ad Scholam in Monasterio Portæ ad Salam, non procul à Naumburgo, fuit adhibitus, vsq; ad Annum 1549. quo rursus in Scholam patriam est vocatus, in qua vsq; ad Annum sexagesimum secundum Prorektoris officio fidelissimè functus est, vè postea dicetur. Quàm honorificè de hoc Lindemanno, præstantissimus Theologus & optimus Vir, Luthero etiam carissimus, Dn. Fridericus Myconius Superintendens quidem Gotanus, sed præcipuorum negotiorum apud Illustrissimum Electorem Saxonix Gubernator, senserit, ex multis patet. Indè diuinitus factum rectè putatur, quòd Filia Myconij Barbara ei in matrimonium post tanti Parentis obitum collocata fuit, quæ hoc suo Marito mortuo vsq; ad 16. Octobris, Anni 82. alteri Viro juncta, superstes permansit.

His



His breuissimè præmissis nunc ad  
Vitam ejus scholasticam me conuerto,  
quæ & Doctrinæ ratione & Disciplinæ  
moderatione maximè fuit laudabilis.  
Tota enim docendi ratio ita erat confor-  
mata, vt non quibus ipse delectaretur, aut  
quæ magna & splendida alijs viderentur,  
legeret, sed quæ præsentì coetui & diuersi-  
tati ingeniorum maximè profutura judi-  
cabat. Cum aliorum multorum Præce-  
ptorum ea sit iudicij peruersitas, vt ma-  
lint eos Autores, ex quibus ipsi jucundi-  
tatem & delectationem, aut etiam utili-  
tatem capere possint proponere, quàm  
Discipulorum studia seriò promouere.  
Eos ergo hic noster Lindemannus elige-  
bat Autores, ex quibus ad Discipulos sin-  
gularem utilitatem redire posse existima-  
bat. In explicatione verò eorum Auto-  
rum ita versabatur, vt diligentissimè ca-  
ueret, ne inutilibus, superfluis, nō necessa-  
rijs & tantum ad ostentationem stultam  
peculiaris eruditionis comparatis, imò  
prolixis commentarijs, & annotationi-  
bus (vt vocant) tempus malè tereret, Pu-  
eros, qui de tantis ampullis nihil intelli-  
gerent obrueret, atq; adeò obtunderet,  
sed ea



sed ea tantum, quæ cuiq; classi conuenirent, diligenter explicaret, atq; multoties repeteret & inculcaret. Id ut fiat manifestius, hoc addo. Animaduertebat, prolixitatem Grammaticæ Philippi ijs Pueris, qui primò ad secundam Classem adducebantur, cū antea Catechesin Isennacensem vix didicissent, non conuenire: ergò non ut Orbilius plagosus eam totam ediscendam proponebat, sed prudenter necessaria seligebat, ut ad ea, quæ prius ex Catechesi didicissent, priori semestri, aut etiam anno, maximè necessaria adjungerent. Superioribus, qui aut semestri aut annum integrum horum Præceptorum auditores fuerant, insuper alia adiciebat, ut ita pedetentim, sine magno labore & molestia præcepta integra addicerent, sicut hoc tempore libellus Grammaticus, cuius vsus non tantum est in hac Schola, sed toto fermè Ducatu, ita est dispositus, ut Characterum diuersitate, quid diuersis auditoribus proponi debeat, ostendat. Hac sua docendi dexteritate multorum studia feliciter prouehabat. In expositione verò præceptorum & regularum, quibus plerunq; exempla adje-

B

ta sunt.



Ita sunt, non conuehebat plaustra Com-  
mentariorum, nec occasione sumta à  
vocula aliqua omnes Poëtas, historicosq;  
aut Medicorum Iurisconsultorumq; Li-  
bros conuocabat, aut longam hinc inde  
confutis centonibus multarum horarum  
instituebat Declamationem, aut dictati-  
onem, quæ Discipulis, de tantis ampullis  
ad ostentationem conquisitis nihil intel-  
ligentibus, non modò molesta fuisset, sed  
& noxia. Hac enim ratione tempus inu-  
tiliter teritur, & ingenia opprimuntur,  
& omnis animi vigor discend q; alacri-  
tas extinguuntur. Hunc verò vtilissimū  
seruabat ordinem, vt perspicuè & dextrè  
explicatis regulis vocabula addita ger-  
manicè interpretaretur, aut alijs appella-  
tionibus latinis redderet, omissis prolixis  
Commentarijs, & exempla cum regulis  
conferret, & conuenientiam monstra-  
ret. Eodem modo in Syntaxi congruen-  
tiam exemplorum cum regulis diligen-  
ter ostendebat. Vnde luce meridiana cla-  
rius est, quàm inepti sint Grammaticæ  
Præceptores aut Interpretes, qui Pueris  
notissimas regulas nondum intelligenti-  
bus, complures significationes vocum  
exempli



exempli loco appofitarū, operose ex Lexicis, Calepino, Dictionario conquirunt, interdum etiam varias loquendi formulas, in quibus ejusmodi voces vforpantur, congerunt, & tam rudibus Discipulis, cum magno fastu & supercilio inculcant, non tantūm, sed vt ediscant cogunt, cum vix etiā maximo adhibito labore, necessaria praecepta possint memoria mandare. Inscitiam suam produnt inepti illi Praeceptores, dum Syntaxin docere debent, occasionem a versu aliquo arripiunt, integram fabulam ex Poëtarum Libris, aut Historiam per aliquot horas Pueris dictandi, cum deberent connexionem aut conjunctionem Vocum Pueris tradere, & quomodo ad hanc congruentiam propositam, similem ipsos deceat effingere. Hi inepti Praeceptores in causa sunt, quòd Pueri multos annos in discendis praeceptis Grammatices detinentur, non sine jactura temporis & sumtuum, nec sine ingenij suffocatione, quod legitima docendi ratione eos subleuare oportebat. Faciunt enim vt verissimum fiat, quod Seneca cōqueritur: *Necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus.*



Et quoniam in hunc campum dicendi  
ingressus sum, nec hoc præterire possum,  
quod intelligo, ipsum nec rationem quo-  
rundam Præceptorum in explicandis au-  
toribus probasse, qui ingentia plaustra  
præfationum aut prolegomenon explica-  
tioni præmittunt, & nisi hoc faciant, se  
indoctos, qui ex aliorum libris nihil pos-  
sint consuere, judicari existimant, cum  
re vera his prolegomenis, se nihil intelli-  
gere, probent evidentissimè. Nesciunt  
enim discrimen inter lectionem histori-  
cam, Ethicam, Physicam & Grammati-  
cam. Finitis tandem prolegomenis, bre-  
uiusculis Ciceronis Epistolis, vel à Suet-  
mio in usum Puerorum collectis, argu-  
menta decies ipsis epistolis longiora con-  
sarcinant, & vt ediscant Pueros verbis  
verberibusq; adigunt, denuò nescientes,  
Pueris significationem vocum & cætera  
Orthographiæ accidentia, rationemq;  
Syntaxeos cum phrasibus, aut modo lo-  
quendi, (hæc enim primò sunt tradenda)  
monstranda esse. Hoc argumento finito,  
subsequitur dispositio Exordij, Narratio-  
nis, Confirmationis, & cæterarum parti-  
um, quam vel ipsi Præceptores tales, non  
intelligunt,



intelligunt, & nisi ex aliorum commen-  
dicatis libellis corrasissent, monstrare non  
possent. Ita cum maximo detrimento  
miseri Pueri aliud agunt, quod intelligere  
non possunt, & id quod discere debe-  
bant & possent, negligitur: taceo quod  
miserrime crucientur, ut omnem doctri-  
nam, & vitæ suæ genus Vatiniano odio  
prosequi incipiant. Loquor enim de ijs,  
quibus Pueri initia linguæ latinæ discen-  
tes, commendati sunt, cum longè alia ra-  
tio sit, quando autores propter historias,  
Ethicam, Phisicam, aut artificium logi-  
cum explicantur. Horum nihil faciebat  
optimus ille Præceptor, sed intra metas  
Grammaticæ, quando cum tyronibus  
versabatur, se continebat, & ita multo-  
rum studia feliciter iuuabat, ut funda-  
mentis fideliter iactis grauiora rectè su-  
perstruerent. Deinde quando eos, qui ju-  
stos profectus in inferioribus fecerant, &  
ad maiora idonei erant docebat, disposi-  
tiones, argumenta, locos Ethicos. & simi-  
lia ipsorum captui attemperata, ut artifex  
nouerat tractare, sicut Dialecticæ, Rhe-  
toricæ, Officiorum Ciceronis, & simili-  
um scriptorum explicatio ostendebat,



quando seorsim primanis ætate proue.  
Et oribus ea interpretabatur. Absurdum  
enim est Puerorum aures partibus orati.  
onis Rhetoricæ, appellationibus Exordij,  
status, mentione figurarum Rhetorica.  
rum implere, aut Dialecticis terminis,  
subiecto, prædicato, Maggiore, Minore tor.  
quere, cum illarum artium præcepta non  
didicerint, imò nunquam viderint.

Nouerat etiam sese ad diuersos audi.  
tores attemperare, quando eos in eadem  
lectione habebat conjunctos, vt majori.  
bus tropos, figuras, adagia, insigniores lo.  
cos, & peculiare loquendi formulas, à  
communi vsu, paulò remotiores, aut eti.  
am interdum difficiliore, quàm vt à mi.  
noribus intelligi aut vsurpari possent,  
monstraret, & postea maioribus alia le.  
ctione alterius Præceptoris occupatis,  
à minoribus expositionem germanicam  
reposeret, Syntaxin, vocabulorum sig.  
nificationes, formulas, quibus ipsi vti pos.  
sent interpretaretur, ne mora maioribus  
noxia, festinatio minoribus incommoda  
esset, sed vtrisque satisfieret. Hæc ita sese  
habere possem adhuc libellis aliquot an.  
notationum, vt vocant, si necesse foret,  
productis



productis testari. Quæ verò in suis lecti-  
onibus diligenter explicuerat, artificiosè  
nouerat scriptis, quæ hebdomadatim  
proponebat, includere, vt facilè expisca-  
retur, quinam Discipulorum attenti fu-  
issent, & inter emendandum tantisper  
Discipulos interrogando exercebat, dum  
intelligerent, vbi ab Orthographia aut  
Syntaxi aberrassent, & sublata menda,  
quod cum vtraq; conueniret, substitue-  
rent, & suorum erratorum fierent ipsi  
emendatores, quod ingenia mirificè acu-  
it, & vt eiusmodi lapsus aut nœuos postea  
viterent, instruit. Etsi autem id temporis,  
quo ego ipsius auditor & Discipulus fui,  
Rectoris officio non fungeretur, sed Dn.  
Pancratius Susenbachius Silesius, qui  
magna autoritate apud Collegas & præ-  
cipuos Ciues, quos ferè omnes Discipu-  
los habuerat, cum 36. annos ei Scholæ  
profuisset, valebat: tamen hujus Linde-  
manni diligentia cum seueriori Pancratiij  
disciplina conjuncta, tantam celebra-  
tem huic Scholæ afferebat, vt non tan-  
tùm ex vicinis oppidis, Erphordia, Mul-  
husio, Arnstadio, Isennaco, Salzunga, &  
similibus, complures suos liberos eò mit-  
terent,



terent, sed ex remotioribus locis eo tem-  
pore plures consilio parentum huc con-  
fluerent. Noui ibi quosdam ex Misnia, Ei-  
lenbergo, Friburgo, V Viteberga, Svvid-  
nico ex Silesia, Francofurto ad Mœnum,  
Dauentria ex inferiori Germania con-  
fluentibus Treuirensis ditionis oppido,  
alijsq; locis compluribus, quos omnes  
enumerare non possum, cum ex memo-  
ria mea nomina plarorumq; hisce tri-  
ginta annis, effluxerint. Illud verò affir-  
mare non erubesco, complures in Eccle-  
sijs, aulis Principum, in florentissima-  
rum Ciuitatum officijs, in Academijs,  
magna cum laude versari, qui primam  
institutionem fidelitati hujus Viri, &  
quicquid postea superstruxerunt, acceptū  
referunt.

Cum hac sua in docendo dexteritate  
conjuncta erat singularis & jucunda hu-  
manitas, qua complurium animos verbis  
& gestibus verè paternis ad se alliciebat,  
vt credam neminem id temporis inter  
Discipulos fuisse, qui eum vt Patrem, ex  
animo non coluerit & adamârit. Ego  
verò hoc certò affirmare possum, animū  
meum adhuc, quoties de ipso cogito, co-  
gito autem



gito autem profectò singulis diebus, mi-  
rificè accendi, & in desiderium hujus Viri  
rapi. Tàm blande enim & suaviter me,  
qui ob varios fortunæ fluctus aliquoties à  
studijs abstractus, tardius ad ea redirem,  
sepius intuebatur, vt paternus animus &  
affectus ex oculis eluceret: compellabat  
me, inter repetendum instruebat, & co-  
miter errata vel Orthographica, vel Syn-  
tactica, quæ etiam inter excipiendum ea,  
quæ proponebantur, incauto mihi, irrep-  
serant, vel sua manu corrigebat, vt vehe-  
menter dubitem, an pater quispiam hu-  
maniùs filium suum complecti queat,  
aut educare. Etsi autem si vel negligentia  
vel petulantia Puerorum castigationem  
postularet, adeoq; ab ipso inuito extor-  
queret officio suo non deesset: tamen ea  
vtebatur moderatione, vt nec fascem,  
sed fasciculum, imò ne fasciculum sed  
virgulam adhiberet, nullum in toto cor-  
pore vestigium aut indicium iracundiæ  
appareret, omnis deniq; & animaduersio  
& castigatio contumelia vacaret, & Di-  
scipulorum animos, comitas affabilitasq;  
sermonis, maximè conciliaret. Etsi au-  
tem Pancratius, esset austerior, & in de-

B 5.

linguentes



linquentes seueriùs animaduerteteret: ta-  
men aliud nihil consequebatur, quàm vt  
mereretur, hic verò vt certatim ab om-  
nibus coleretur & amaretur. Idq; postea,  
anno sexagesimo secundo, cum Pan-  
cratius laborum diuturnorum pertæsus, im-  
petrata à Magistratu venia, hoc officio  
scholastico abiret, & eius loco Linde-  
mannus ad gubernationem Scholæ eue-  
heretur, maximè factum est manifestum.  
Sua enim humanitate id impetrauit, vt  
Discipuli plæriq;, distortos enim non  
moramur, amore Præceptoris à peccatis  
sibi magis cauerint, quàm metu pænæ.

Non tantùm autem aliundè Disci-  
pulos attraxit, & tot sibi filios, quot Disci-  
pulos habuit, comparauit: sed Ciuitatum  
etiam insignium & celebrium, & multo-  
rum bonorum & eruditorum Virorum  
animos sibi conciliauit, & in sui amorem  
illexit. Vt enim cætera omitam, anno  
1551. vocatus est honorificè ad guberna-  
tionem Scholæ Haumburgensis, sed vi-  
cit amor patriæ, ideoq; modestè renuit.  
Cum amplissimus Senatus Erfordianus  
anno sexagesimo Scholam suam in Mo-  
nasterio Augustiniano aperiret, hujus  
Lindemanni



Lindemanni operam sibi perspectam ex-  
petiuit. Cum enim à multis annis cele-  
britate hujus Scholæ commoti, honesti  
Ciues Erphordiani liberos suos ibi cura-  
rent informari, sicut meo tempore plu-  
res ibi versabantur, qui postea tam am-  
plæ Reipub. in Senatoria dignitate inser-  
uierunt utiliter, rectè ij de tanto Præce-  
ptore testari, aut de eo vocando consili-  
um dare potuerunt. Sed Senatus patrius,  
cui fides, diligentia, & felicitas in guber-  
natione scholastica probaretur, potius  
stipendium ipsi augendam quàm dimit-  
tendum rectè iudicauit. Quàm charus  
multis Clarissimis Viris fuerit, vt: Luthe-  
ro cognato, Philippo Melan. Pomerano,  
Iusto Iona, Giganti, Fabritio, Sibero, Ri-  
nio Saxonici Electoris Augusti sanctæ  
memoriæ Præceptori, Camerario, Ne-  
andro Isfeldensis Scholæ Rectori lauda-  
rissimo, Stigelio, V Vellero, & alijs, pate-  
faciet suo tempore Reuerendus, doctrina  
& pietate præstans Vir, Dn. M. Cyriacus  
Snegassius, gener eius, iam Pastor in Syl-  
ua Semana Fridrichrodæ, cum dubium  
non sit, multas de grauib. rebus à tantis  
Viris ad Lindemannum scriptas Episto-  
las apud



las apud ipsum latentes, in lucē aliquando studio ipsius prodituras. Ne verò quisquā sūspicetur, tantam humanitatem & lenitatem in moderatione animaduertendi, laxitatem Disciplinæ attulisse, oppono συλλογῆν legum scholasticarum, quam conscripsit, cum ad officium Rectoris fuit adhibitus, in qua quæ Rectoris, Collegarum inter se, & erga Discipulos, & Discipulorum erga Præceptores, hospites, & inter semetipsos, cum in templo, Schola, domi forisq; essent partes, eruditè consignauit, & accuratè, ne violarentur, obseruauit. Et ingenuè præ me fero, me, cum leges, quibus hæc nostra Schola Coburgensis in doctrina & vita tam Præceptorum quàm Discipulorū regeretur, Illustrissimo Principe Casimiro, Domino nostro Clementissimo iubente, conscriberem, hac συλλογῆ Lindemanniaca præcipuè adiutum esse. Ad hanc Disciplinæ conseruationem plurimùm conferebat id, quod partes sui officij diligenter exequebatur, & Collegas, quid singuli facerent, quando ad operas venirent, qua docendi ratione vterentur, obseruasse, & ceterarum classium, quas ipse non docebat,  
Pueros



Pucros sapissimè, quid discerent inspe-  
xisse, & Collegas cum Discipulis magis  
suo exemplo, quàm feueris objurgationi-  
bus rexisse perhibetur. Etsi enim cum  
Collegis amicè vixit: tamen hac in parte  
etiam suam auctoritatem conseruauit,  
quod in congressibus & necessarijs deli-  
berationibus, quid se deceret, grauite  
exequeretur, nec comotationibus, à qui-  
bus naturâ & propter valetudinem tenu-  
em planè abhorrebat, indulgeret, sed  
confectis negotijs & laboribus Scholæ,  
quicquid supererat temporis, id priuatis  
studijs in Bibliotheca satis instructa tri-  
buebat, & quicquid Collegis faciendum  
esset, itidem suo exemplo persuadebat.  
Verissimum enim est, quod veteri dici-  
tur prouerbio: Nimia familiaritas parit  
contemptum. Quod & Herodes Rex Iu-  
dæorum, Ascalonita & à nefario scelere  
Brephtonos appellatus intellexit. Cū  
enim filium suum Iudæis præficeret, ut  
est apud Iosephum Ebraicum (qui Benjo-  
siphon à Iudæis vocatur) lib. 5. Cap. 28.  
inquit, ut verbum verbo reddam: Cauete  
à lingua mala, & ne multiplicaueritis ver-  
ba cum filijs meis, quia verba multa, &  
protractio



protractio conuiuij inducunt hominem  
in consilium malum. Non parum adju-  
menti ad tutandam augendamq; autori-  
tatem apud Collegas, Ciues, Discipulosq;  
hoc etiam afferebat, quod honesto, vt  
graue Virum decet, utebatur & tali ve-  
stito, qui magis Pastorem Ecclesie, quam  
hominem argueret Scholasticum, sicut  
id temporis major etiam vestitus cum  
apud Præceptores tum Discipulos erat  
cura. Etsi autem ceteri Collegæ classium  
inferiorum, hunc non imitarentur in-  
eptè: tamen tali incedebant induti, vt sin-  
guli, quos obuiam habebant, quòd Col-  
legæ Scholæ essent, primo intuitu cogno-  
scerent, & facile à leuibus hominibus, qui  
vestibus se solent prodere, & à cæteris Ci-  
uibus discernere. Hoc tempore multæ  
grauesq; sunt querelæ, de varijs & turpi-  
bus vestium formis etiam in Scholasticis,  
& monstrosi Parentes hanc scurrilita-  
tem monstrosam contra Præceptores re-  
ctè monentes defendunt multoties. Sed si  
rem rectè aestimare velimus, quidam ex  
Præceptoribus, quos grauioris & hone-  
stioris vestitus, quem ratione officij ama-  
re debuissent, pudebat, hanc turpitudinē  
ipsi



ipsi in Scholas inuenerunt.

Haecenus de vita hujus laudatissimi Viri scholastica, vnde multae necessariae & vtilis admonitiones ab ijs, qui in ea versantur, peti possunt, quas ego, ne prolixior essem, adijcere nolui. Reliqua vero vita priuata prorsus erat tranquilla, non amabat consortia multorum, sed domi libris affixus plerumque delitescerebat, & quicquid vacui erat temporis, aut ijs, quae ad scholasticum munus recte expediendum spectabant, tribuebat, aut commentationibus priuatis, lectionique optimorum autorum impendebat, quos quanto studio euoluerit, ipsi libri, graeci, latini, Theologici, Medici, Philosophici, Poetici, partim post ipsius mortem hinc inde distracti, partim apud Generum asseruati loquuntur, cum nulla sit pagina, in qua manus ipsius munda & elegans non exeret. Solitus est enim quae apud diuersos autores legit, in margine consignare, ut iuaret memoriam, aut explicationes locorum difficilium eruditas ex alijs adijcere, aut totam disputationem in eruditam & ingeniose concinnatam tabulam redigere, quod in codicibus graecis Aristotelis, vnde



lis, vnde ego quædam descripsi, Gregogij  
Nassianfeni, Basilij Magni, Homeri, Plu-  
tarchi, & latinis Ciceronis, Quintiliani, &  
quibusdam libris medicis, imò in exem-  
plari Virgilij, quo in Schola utebatur, ap-  
paruit. Habuit etiam sua manu græcè &  
latinè scriptos aliquot commentarios, in  
quibus sine omni dubio multas res utiles  
& necessarias complexus est, quos, si ij, qui  
subtraxerunt, addito autoris nomine, ali-  
quando ederent, aut hæredibus restitue-  
rent, culpæ suæ labem magna ex parte  
eluerent. Si verò aliquid ad Generum su-  
prà nominatum peruenit, juxta expecta-  
tionem multorum cum alijs communi-  
cabit.

De pietate dicat aliquis quæstio vlti-  
ma? Imò sanè, siquidem ea, in tota vita  
sefe exerit, tum maximè in extremo arti-  
culo & morte ipsa conspicitur. Theolo-  
gus fuit valdè eruditus, id si aliundè cog-  
nosci non posset: satis evidens argumen-  
tum præberet explicatio Euangelij Mat-  
thæi, quod singulis septimanis die Sabba-  
thi suis Discipulis interpretabatur, addi-  
tis doctissimis commentarijs, qui à mul-  
tis alijs Pastoribus & Academiæ Professoribus



fessoribus id temporis expetebantur. Hi  
si cderentur, magnificum de hujus Viri  
doctrina in Theologia dicturi essent te-  
stimonium. Paruus libellus est editus,  
continens periochas Euangeliorum &  
Epistolarum Dominicalium: & tamen  
quid eruditi de eo judicent, manifestum  
est. Conciones attentè audiebat, sacris  
Cantionibus & Psalmody magna reue-  
rentia intererat, & Pueris garrimentibus  
vel sub Concione, vel sub Lectione, aut  
Cantu sacro, vehementiùs quàm aliàs  
solebat, commouebatur. Quanto studio  
pietatem in Schola sua coli voluerit, ex  
legibus ab ipso conscriptis apparet. Non  
minore cura Discipulis suis initia doctri-  
næ cœlestis, & pietatem instillare cona-  
tus est. Ideò cum doceret in Schola Por-  
tensi, hymnum ijs præscripsit, quem Do-  
minus Siberus tanti fecit, vt cæteris hym-  
nis, quos cum Psalterio Lemmatibus à se  
ornato ante annos 18. edidit, adjecerit.  
Eum quia breuis & neruosus est, addo.

**O** DEVS magni fabricator orbis,  
Qui pijs gaudes precibus bonorum,  
Quas tibi totis animis, & imo  
Pectore fundunt.

C

Da



Da precor noctis tenebris fugatis,  
Dum nouæ lucis redeunt labores,  
Vt tibi soli placeant peractæ  
Tempora vitæ.

Tu regas mores, animumq; formes,  
Vt piæ mentes studio salutis  
Ardeant, & te Dominum supremum  
Laudibus ornent.

Vt bonas artes Duce te sequamur,  
Et feros cultus hominum malorum  
Ritè vitemus, studioq; toto  
Te veneremur.

CHRISTE: qui summo genitus Parente  
Conuocas ad te docilem iuuentam,  
Nec cupis primos perijsse nobis  
Turpiter annos:

Spiritu sancto rege Corda nostra,  
Et fac, vt vires habeant colendi  
Te Deum verum, Dominumq; mortis  
Virgine natum.

Feruidæ ne nos rapiant iuuentæ  
Impetus, fraudes Sathanæ repellant  
Angeli, nec nos hominis mali Con-  
tagia lædant.

Ritè sic nobis peragatur æuum  
Omne, sic rectis studio fideli

Artibus



Artibus culti, tibi seruiemus  
Pectore toto.

Nostra sic nauis dubio periculo  
Functa, cœlestis patriæ perennem  
Tanget, & toto retinebit aui  
Tempore portum.

Elucebat etiam in eo pietas, quòd  
Præceptorum suorum sæpenuerò ho-  
norificam faciebat mentionem, eosq; ve-  
ra animi reuerentia colebat. Cum tristis  
afferretur nuncius de obitu Clarissimi  
Viri Dn. Philippi Melanthonis, propo-  
nebat nobis à prandio, dum cætera scri-  
pta perlustrabat, vertendum breue Epi-  
gramma, in quo animi sui erga tantum  
Virum beneuolentiam, non obscure te-  
statur, & cum omnes exhibuissemus, ut  
quibus verbis ipse expressisset, videre-  
mus, subiiciebat:

*Corpore parvus erat, magnus virtute Philippus,  
Doctorum princeps, & pietate parens.*

*Nigra cognomen meritò telluris habebat,  
Optimus ingenij fertilitate sui.*

*Hoc etenim viuo, victrix Germania cunctas  
Ingenij laudes cum pietate tulit.*

Paulò pòst cum Lotichius, Sabinus, Sti-  
gelius, & alij, ex hac vita discessissent, eru-



dito Carmine eorum laudes decantabat,  
& funera tristia deplorabat. Et verisimile  
est, pietatem & obœdientiam Discipulo-  
rum, de qua suprâ dictum est, erga hunc  
suum Præceptorem fuisse quasi & ὡς ἑωσπου  
diuinitus huic Viro tributum, ideò quòd  
& ipse suos Præceptores vera animi sub-  
jectione veneratus esset, cum omnium  
seculorum historijs veritas hujus senten-  
tiæ confirmata sit:

*Ab alio expectes, alteri quod feceris.*

Cum autem ætas ingrauesceret, & corpus  
natura exile laboribus esset attritum &  
fractum, ad senectutem, quæ per se mor-  
bus est, duo grauissima mala accedebant:  
tumultus bellici, ac pericula obsidionis  
patriæ, quæ animum ejus vehementer af-  
flexerunt: & tabes corporis marcescentis:  
ita senio & ægritudine est confectus. Ve-  
rissimum enim est, quod Cicero habet  
Lib. 3. Tusc. quæst. Omnis perturbatio  
misera est: Tum carnificina est ægritudo.  
Habet ardorem libido, leuitatem gesti-  
ens læticia, humilitatem metus, sed ægri-  
tudo majora quædam: tabem, cruciatum,  
afflictionem, fæditatem: lacerat, exest ani-  
mum, planeq; conficit. In hoc diuturno  
morbo



morbo nihilominus, dum vires attenuatae sinerent, officium suum fecit, & cum ad auditoria descendere non posset, in suo hypocausto tamen in lecto decumbens, magnae sibi curae Scholam esse ostendens, legit.

Sicut autem toto vitae suae tempore ad felicem discessum ex hoc tetro hospitio sese praeparauit: ita cum mortem indices magis magisque; appropinquantem animaduerneret, imò cruciatus & imbecillitatem non modò mortis praenuncios & omnium miseriarum finem esse intelligeret, patienter quicquid accidit, pertulit, vera animi pietate Deum nomine Filij sui Domini nostri Iesu Christi inuocans, vt in vera fide constanter conseruaret & latum exitum largiretur. Quod hi Versus veram pietatem spirantes, 16. Ianuarij anno 1568. ab ipso praeter cum caetera mala & sensus audiendi hebescerent, scripti, conuincunt:

*Nulla mihi medicina potest asferre salutem,  
Tu nisi CHRISTE, DEI Fili me iuuervis ipse:  
Ergo DEI Fili fer opem, certamq; salutem  
De te pendenti presta, meq; exue mundo.  
Nam quid surdus agam, terrarum pondus onusq;*

C 3

Orbatue



*Orbatus Verbi doctrina Voceq̄, viua,  
Officij q̄, mei non fungens munere sancto?*

Cum ex fratre nepos Christophorus Lindemannus, pietate & doctrina excellens Vir, Nicolai Lindemanni, cuius supra facta est mentio, filius, & frater Iohannis, qui multos annos Scholæ Ecclesiæq̄; Gothanæ Musicus fuit, & adhuc cū laude suam functionem administrat, patrum ægrotantem inuiseret, & rogaret, vt aliquid in lecto decumbens in librum, quem secum portabat, scriberet, hos ex Iobis Cap. 13. Versus composuit & ascripsit:

*Elidat quamuis animam, nece membraq̄, perdas,  
In Domino semper mea spes defixa manebit.  
Ante sed illius faciem mea cuncta fatebor  
Crimina, delicti nilq̄, occultabo maligni,  
Vt sit Saluator, Dominus meus, atq̄, Redemptor,  
Illius ante venit, quia nullus hypocrita vulsum.*

Et Iobis 17.

*Post tenebras lucem spero, post tristia læta.*

Et tandem subiicit:

*Christophorus Christum, Christus si sustinet orbem,  
Consistat pedibus dic vbi Christophorus.*

Hisce Versibus satis testatus est, quibus cogitationibus Cor haberet occupatum,



19  
l.  
l.  
D.  
c.  
ū  
l.  
t,  
b,  
x  
l.  
tum, videlicet, de agnitione peccati, cau-  
fis calamitatum & morborū, imò mor-  
ris, de fiducia in Deum per & propter fi-  
lium Dei, de lāta coram tota Trinitate  
apparitione, & de mox secutura lāta li-  
beratione, quæ non procul abfuit, sicut  
diuinavit. Cum enim hos Versiculos 12.  
Februarij anno 68. scripsisset, post Men-  
sem, 12. Martij, ex hac miseriarum valle  
in vitam æternam, post tristia lāta acci-  
piens, anno ætatis 52. cum Scholæ patriæ  
vltra nouendecim annos fideliter serui-  
isset, honesta sanè memoria & maximo  
sui desiderio multis pijs & bonis Viris re-  
lictō, migravit.

Etsi autem cum in viuis esse desijt,  
viva voce suis Discipulis prodesse desijt:  
tamen omninò prodesse non desijt. Vt  
enim taceam, quot Discipulos educârūt,  
qui aliorum studia, ea ratione, quam ab  
ipso didicerant, prouexerunt, certè Statu-  
ta ab ipso consignata Scholam Gothanā  
hactenus rexerunt, & in posterum, si ob-  
seruabuntur, eandē iuuabunt plurimum.  
Idem enim de his iudico, quod Lacedæ-  
monij de Lycurgi legibus, quod videlicet  
dum ea colerentur, Respub. ea, cui lātæ  
C 4 erant.



erant, florem & nitorem pristinum re-  
tentura, si negligenterur, peritura esset.  
Sed de his satis.

Ago jam gratias non quas debeo, sed  
quas Dei ipsius præeunte Spiritu possum,  
æterno Deo Patri Domini nostri Iesu  
Christi, quòd vnà cum Verbi sui clarissi-  
ma luce clementer inter nos per ministe-  
rium sanctissimi Viri Lutheri accensa,  
bonarum artium & linguarũ studia con-  
juxit, & hætenus ex immensa miseri-  
cordia conseruauit, dedit etiam eiusmodi  
Præceptores, qui non tantùm in Acade-  
mijs superiores facultates docent & pro-  
pagant, sed qui in pistrinis Scholarum  
triuiualium molestissimos labores susti-  
nent, & fundamenta puerilium studiorũ  
fideliter jaciunt, quibus majora facilè su-  
perstruuntur, & sine quibus majora nulla  
constare aut tradi possunt. Rogo verò  
eundem Deum beneficum, vt in posterũ  
etiam tales Præceptores, nostro Linde-  
manno similes largiri, eorumq; labori-  
bus benedicere velit, vt plantulæ tenellæ  
rectè creuantur, & aliquando suos fructus  
copiosissimos ferant, vt continuata serie  
semper sint qui ad conseruationem Ec-  
clesiæ

clesiæ



clesiæ & Scholarū aliquid opis afferant.  
Et quoniam pro tot tantisq; molestijs,  
quas misellos Pædotribas deuorare oportet,  
aut exigua, aut certè vix mediocria  
habent stipendia, (Regnum enim Ponti-  
ficum adhuc omnibus fermè in locis imi-  
tamur, quod neglectis Scholis & Præce-  
ptoribus omnes redditus Missificibus at-  
tribuit, qui nunc ad alios vsus minus ne-  
cessarios conuertuntur) eundem rogo, vt  
ipsorum animos confirmet, vt labores  
patienter ferant, & dum officium docen-  
di sustinent, diligentia sua nihilominus  
iuuentuti prodesse studeant, & eos si in  
paruo fuerunt fideles, ad superiora eue-  
hat, quo laborum suorum fructum tan-  
dem vel in politicis aut Ecclesiasticis  
functionibus, eundemq; vberiore per-  
cipiant, quod se etiam facturū benignis-  
simè Matth. 25 per Christum promisit.  
Et possem, si tempus ferret, longam insti-  
tuere narrationem, aut texere Catalogū  
eorum, quos Deus ex his pistrinis, in qui-  
bus fideliter laborârunt, ad summos di-  
gnitatum gradus, in Ecclesia aut politia  
exaltauit. Deinde ago & habeo etiam  
gratias Illustrissimis nostris Principibus,

C 5

Ministris



Ministris Ecclesiae, Senatui amplissimo,  
singulatim verò Dominis Inspectoribus  
& Scholarchis, quorum patrocínio, au-  
toritate, cura, crebraq; visitatione Scho-  
la hæc nostra conseruatur, augetur, stu-  
dia Iuuentutis prouehuntur. Prædico  
etiam hoc loco & tempore libenter &  
honorificè Præceptorum in hac Schola  
nostra diligentiam, qua effectum est, vt  
progressum in studijs Discipulorum plæ-  
rorumq; laude dignum hoc Examine de-  
prehenderimus, & moneo eosdem, imo  
rogo & obsecro, vt eum cursum in poste-  
rum etiam teneant, & non tantum assi-  
duitate & diligentia, verum etiam com-  
moda docendi ratione infirma ingenia  
iuuent & prouehant. Quod eò facilius  
facere & præstare poterunt, cum operæ  
singularum classium in Scholæ nostræ  
constitutione accuratè descriptæ sint, ita  
ne ingenia rebus non necessarijs aut diffi-  
ciliores, illi ætati nondum conuenien-  
tibus, onerentur, aut suffocentur, sed sub-  
leuentur & excitentur. Hunc enim ad  
finem, vt hoc denuó repetam, certa equa-  
bilisq; docendi & discendi ratio ab infi-  
mis classibus vsq; ad supremam est de-  
scripta,



scripta, vt quilibet sciret, quid quantumq;  
suis Discipulis proponere inculcareq; de-  
beat, ne confusio omnem ingeniorum  
vigorem planè extingueret aut retunde-  
ret. Promitto etiam hoc loco publico, si  
ita, vt hoc semestri factum est, diligenter,  
iusto ordine, adhibitaq; iudicij methodici  
dexteritate perrexerint, quantum in me  
est, elaboraturum nauiter, vt experian-  
tur, se hos labores non frustra sustinuisse,  
sed promotionem ad altiora promeritos  
esse. Aequum enim est, vt ij, qui in pulue-  
re scholastico aliquandiu delituerunt, in  
lucem clariorem aliquando producan-  
tur.

Tandem adhortor etiam Scholæ  
nostræ alumnos, vt grato animo, cum  
Magistratus superioris tum oppidani be-  
neficium agnoscant, & Præceptorum di-  
ligentia & dexteritate rectè vtantur, ijs  
omnibus debitam reuerentiam oboedi-  
entiamq; exhibeant, imò quod prouer-  
bio dicitur, cum Minerva quoq; manum  
moueant. Et quoniam labores cum do-  
cendi tum discendi ordine tali distributi  
sunt, ne Præceptoribus aut discipulis  
graues sint, sed à minimis incipientes, per  
classes



classēs singulas affurgant, & pueros sen-  
sim ad maiora perducant, vt quasi per lu-  
sam initijs primò cognitis, & citra labo-  
rem cætera adijciant, dum curriculo  
Grammatico absoluto, deinde ad linguã  
Græcam, Dialecticam & Rhetoricam,  
earumq; vsum, qui perspicuè & luculen-  
ter in bonorum autorum lectione osten-  
ditur, progrediantur: hunc ductum se-  
quantur, & magni beneficij loco habe-  
ant, quòd sua studia tam facili docendi  
via adiuuari intelligunt, qua paucis annis  
ea omnia perdiscere, & quidem facile  
possunt, quæ cæteri multis annis & maxi-  
mo cum labore non assequuntur.

Minimè etiam dubia spe sum, si sin-  
guli in posterum fideliter officium no-  
strum fecerimus, & ardentes ad Deum  
preces conjunxerimus aut potius præmi-  
serimus, fore, vt diuina benedictione id,  
quod votis nostris expetimus, & labori-  
bus assiduis quærimus, consequamur: vt  
Deo aliqua fiant inter nos grata, huic  
Scholæ & Iuuentuti utilia, nobis hono-  
rifica, quo cum bona fama & honesta  
existimatione, Deo cultores Scholæ, Ec-  
clesiæ,



clesiæ, Reipublicæ, posterisq; nostris suc-  
cessores vtilis & necessarios, nobis de ca-  
statione vitæ in qua jam collocati  
sumus, decedentibus,  
relinquamus.

EPICEDION  
IN OBITVM  
DOCTISSIMI VIRI  
M. CYRIACI LINDEMANNI,  
Scholæ Gothanæ Rectoris, qui in  
Christo placidè obdormiuit,  
Anno M. D. LXVIII.  
XII. die Martij.

Autore Simone  
Heringio.

Clarissimis



CLARISSIMIS  
VIRIS, SAPIEN-  
TIA, PIETATE, ET VIRTU-  
te præstantibus, Dominis Consulibus,  
Præfectis ærario, totiq; Senatui inclytæ  
Ciuitatis Gothæ, Dominis suis &  
Patronis plurimum  
colendis.

Simon Heringius S. D.

**M**axima Stigelius doctorum gloria vatam,  
Quos tulit, aut vnquam Teutonis ora feret:  
Ingenijs Patriam felicem dicit, at illis,  
Fortunam placida fronte fauere, negas.  
Cogimur experti longo mœrore fateri,  
Vatem veridicos hie retulisse sonos,  
Non modò nam pulsum tot tempestatibus ipsum,  
Versarunt varijs aspera fata malis.  
Verùm etiam nentes fatalia stamina Parce,  
Huic citò ruperunt vltima fila Viro.  
Nam vix lustra nouem, binosq; peregerat annos,  
Liquit vbi gelido corpus inane solo.  
Alter ab hoc, patriæ confors, toto minor Anno,  
Lindmannus patriæ duxq; decuq; Scholæ.  
Vitam Stigelij quinis superauerat annis:  
Vsq; aded doctis fata inimica Viris.

Post



Post dubios belli casus, pestisq; furorē,  
Que grauius patrios corripuere lares:  
Qua mala nobiscum tolerauit pectore forti,  
Heu pramatura morte solutus obit.  
Atq; ita natali tegitur tellure sepultus,  
Lindmannus Clari candida fama chorū.  
Stigelium sepelit Salana Academia vatem,  
Hic vbi Musarum nobilis autor erat.  
Istos ergo viros, patria duo sidera gentis,  
Defunctos pius est luce dolere dolor.  
His orbatā Viris lacrymas pia Gotha profundit,  
Gotha duos tales vix paritura viros.  
Sic ego communi patria mœrore citatus,  
Manibus hæc solui debita iusta pijs.  
Hosq; Elegos vobis volui, præclare Senatus,  
Sincera Domini mente dicare meis.  
Vestra viros istos genuit Respublica, quorum  
Exequijs flentes talia dona damus.  
Accipite hæc placido lugubria carmina vultus,  
Deinde volente DEO candidiora feram.  
Si modò sit vestro mea commodata fauori  
Musa, breui crescens tempore major erit.

## Sequitur Epicedion.

Si prius, Aonides, vatem plorastis ademptum  
Stigelium studijs ingenioq; grauem.  
Si properata DVVIS fleuistis funera, cum quo  
Conquerimur nobis res bona raptâ simul:

Quis



Qui minimus fratrum, sed par pietate duobus  
Princeps ingenij dotibus auctus erat:  
Cujus ab exequijs, heu discrimine duro,  
Afflixit patriam Mars inimicus humum.  
Testis Gotha, Ducem vel adhuc quæ luget ademptum,  
Dum jacet euersum nobilis arcis opus.  
Nunc iterum tristes Elegis componite Versus,  
Mœstaq; luctifica plectra mouete lyra.  
Occidit heu noster, Iudipia fama, Magister,  
Qui tulit à miti nomina ducta Viro.  
Siue quod ingenuas norat feliciter artes,  
Mitescunt ducibus pectora culta quibus.  
Siue animo miti quod erat, placidisq; modestus  
Moribus, & rara dexteritate bonus.  
Nomina conueniunt studijs & moribus istis,  
Omina nominibus sapè subesse solent.  
Vestrum Pieria cultorem flete sorores,  
Et date in exequias vltima dona piæ.  
Ecce tegit gelida corpus miserabile terra,  
Κυπριακός vestri gloria magna chori:  
Qui poterat Versus Musis & Apolline dignos  
Scribere, quando forent ocia digna Viro.  
Vt liber exiguus longo consumitur usu,  
Vt lapidem crebris jctibus vnda cauat:  
Ille ita continuo jam fractus membra labore,  
Et varijs curis debilitatus erat.  
Ac vt deficerent vires, jam debile corpus,  
Mens tamen in solitum firma vacabat opus.

Donec



Donec edax morbus miseros absumeret artus,  
Injiceretq; feras inuida Parca manus.  
Iamq; decem post lustra duos vix egerat annos,  
Clausit vbi summo fata peracta die.  
Dignus erat Pyly traducere Nestoris annos:  
Dignus erat vita prosperiore frui.  
Ille grauem gemitum nobis lachrymasq; reliquit,  
Ac desiderium Ciuibus acre bonis.  
Per tria lustra bonis studijs, totidemq; per annos  
Erudijt pueros inclyta GOTH A tuos.  
Gotha leuans oculos, in caesto circumspice vultu,  
Huic similem possis si reperire Virum.  
Occidit heu noster, Ludi pia fama, Magister,  
Κυριακος vera Vir pietate bonus.  
Pracipuo studio diuina oracula legebat,  
Te venerans pura maxime CHRISTE fide.  
In prece totus erat, cum tot circumdata castris  
Vrbs ferret dubij flebile Martis onus.  
Orabatq; DEVM precibus lachrymisq; profusis,  
Tolleret à patrijs noxia bella focis.  
Ac vt, conjugibus saluis, natisq; reductis,  
Donaret pacis munera chara pijs.  
In prece totus erat, cum post discrimina Martis,  
Corrumperent patriam tristia fata lue.  
Diraq; per miserum furerent contagia vulgus,  
Vt caderent hominum millia peste duo.  
Ergo quoda superamus adhuc, & ducimus auras,  
Quodq; tot obstitimus turba relictis malis:

D

Gratis



Gratia CHRISTE tibi, gemitus miserate piorum,  
Quasq; simul tulit hic supplice corde preces.  
Occidit heu noster, Ludi pia fama, Magister,  
Artibus & rerum cognitione potens.  
Omnes historias, autores nouerat omnes,  
Siue tuos Latium, Gracia huc tuos.  
Ausonia tantum lingua monimenta Magistrī  
Rari nota, pari sedulitate, legunt.  
Quam benè Virgilij, Calabriq; Poëmata Flacci  
Legerat, & Musas Naso Poëta tuas.  
Tàm benè Meonium vatem, Siculumq; Poëtam  
Norat, & Asinei Carmina docta senis:  
Nec vel Aristotelem minus, eximiumq; Platone m  
Volverat, Ausonij quàm Ciceronis opus.  
Et quæ præterea scriptorum nomina clara,  
Mater Musarum, Gracia tota, dedit.  
Hic vni cessisse tibi, Ioachime, videtur,  
Alter es Argolici, qui pater eloquij.  
Hujus ubi fueras de fati certior, ajunt,  
Largo te madidas imbre rigasse genas.  
Atq; aliquis dixit: Magnus Camerarius hujus  
Solvit in exequias vltima iusta Viri.  
Sic tibi dilecti fati rapiuntur amici,  
O Vir care DEO, Pierijsq; choris.  
Sic etate pares obeunt, etate minores,  
Vates, conuictus dulcia membra tui.  
Sic nece præreptus, lumen vitale relinquit,  
Mycillus Claria gloria summa lyra.

Sic



Sic tuus, Aonidum decus immortale, Sabinus  
Defunctus gelido condidit ossa solo.  
Sic quoq; Lotichium Musis & Apolline plenum,  
Deliciae rapuit noxia Parca tuas.  
Stigeliusq; jacet, quo non diuinius vllum  
Ingenium vatis Teutonici ora tulit.  
Quid tibi, sancte senex, animi, tot quando Sodales,  
Amittis studijs pectora clara bonis?  
Non amitto, inquis, sed eos prae mitto, beati,  
Ut penetrent summa caelica templa Schola.  
Quos, ducente DEO, quem plena luce videbo,  
Mox sequar, & superum latus adibo choros.  
Sic ait, & vultus lachrymis maduere seniles,  
At placidum Coeli pectus amore flagrat.  
Sit modus hic lachrymis, Musa, miserisq; querelis,  
Non totus moritur, quem fera Parca necat.  
Est locus Aetherei supra alta Palatia Coeli,  
Qua domus aeternas aurea seruat opes:  
Quaq; salutiferis vernat pulcherrimus hortus  
Floribus, & viuis semper abundat aquis:  
Hic animas inter felices Nectare viuit,  
Viuit & Ambrosia Compater ille meus.  
Hic caram reperit Sobolem, Socerumq; verendum  
Myconium, meritis ac pietate grauem.  
Hic reperit Vates, quos deploramus ademptos,  
Hic reperit sanctos ( gaudia quanta ) viros.  
Sic nihil amisit praeter Lethale venenum  
Corporis, & Mundi mille pericula mali.



Corpus humo recubat, curis morboq<sup>3</sup> leuatum,  
Mens pia latitiam percipit aeste DEVM.  
Ergo care parens, hares fulgentis Olympi,  
Aeternum salue, perpetuumq<sup>3</sup> vale.  
Hoc tibi supremum sincerum pignus amoris  
Largior, exuijs hac fero iusta tuis.  
Iam propè tempus adest, quo te seruator IESVS  
In vitam viua voce reducet humo.  
Corpore tunc anima iuncto fulgebis, vt inter  
Conspicuum fulget lucida stella Polum.  
Praesentemq<sup>3</sup> DEVM caelesti luce videbis,  
Et capies veras glorificatus opes.

## Epitaphium eiusdem.

**K**vetand<sup>3</sup>, dulcis Musarum fama Magister,  
Qui vult à mihi nomina ducta viro:  
Qui fuit Argolica clarus, Latiaq<sup>3</sup> Minervæ  
Artibus, & solida Vir pietate bonus:  
Hoc mortale solo Corpus post fata reliquit,  
Ac animam summo reddidit ille DEO.  
Quem viuus coluit, moriens in vota vocabat,  
Confusus meritis, maxime CHRISTE, tuis.

VENERANDO, ERV-  
DITO, ET PIO VIRO, DOMINO  
M. Cyriaco Snegassio, Pastori Frid-  
richrodensis Ecclesiæ fidelissi-  
mo, amico suo dilecto. S.

En



**E**N Epigramma, tui Soceri quod imago requiris,  
Mitto: bona scriptum consule mente boni:  
Quantatuo Socero fuit, & mihi contigit etas:  
Mors latet, in CHRISTO spes rediuvna patet.  
Annus eum nasci vidit, quo Concio caput  
Dicere: Te Zelij furta cauete Viri.  
Augustana duas hyemes Confessio sensit,  
Cum mihi viuendi copia prima fuit.  
Qua poterat nobis melior nascentibus etas  
( Pleraq; si reputes secla priora ) dari?  
Optima viuendi fors est, doctrina salutis  
Publica: non aliter spero, precorq;, mori:  
Mortuus haud aliter tuus est Socer, obfuit arcis  
Vasta ruina nihil, stat via certa Poli:  
Si vel eat pessum totus cum incenibus Orbis,  
Nil tamen, in Domino quin moriare, vetat.  
Si licet hoc, alijs non est ex omnibus vnum,  
Quod morer: in Domino mors scit ad astra viam.

**EPIGRAMMA IN  
EFFIGIEM CLARISSIMI  
Viri M. Cyriaci Lindemanni.**

**C**YRIACI facies Philyrandri, lumine digna,  
Munere sculptoris, Chalcographiq;, patet.  
Iustus enim memori non totus ab orbe recedit:  
sed meliore sui parte superstes agit.  
Huic, Isenacensi genito patre, patria Gottba,  
Lutheriq;, parens sanguine juncta fuit.



Sartor erat genitor, Sartoris filius artes  
Venit ad ingenuas: sic DEVS ire docet.  
Sic tennes ducit pueros: LVTHERVS amicis  
Hunc monitis facilem, iuuat amante manu  
Est adolescentis pietas, doctrinaq<sup>2</sup> visa  
Digna iuuentutis sede Friberg a tua.  
Hanc tribus erudit, geminisq<sup>3</sup> fideliter annis:  
Leucorea meritum sumsit in Vrbe gradum.  
Cum trieteris ei nouies repetita iuuenta,  
LVTHERI senio cum fuit vna super.  
Discipulis Porta lustrum dedit. inde reuersus  
In patriam sponsa praefuit, atq<sup>3</sup> Schola.  
Pancratio junctus tandem successit: & alta,  
Firmius ingenij viribus, arce stetit.  
Saxifragam patriae cladem mutauit Olympo,  
Lustra decem numerans, Zodiacosq<sup>3</sup> duos.  
Cum numerabantur quingenta triennia CHRISTI,  
Lustra q<sup>3</sup> post tredecim, tertius annus erat.  
O vtinam similes porro numeranda Magistros  
Tempora, cum sanctis sint habitura Scholis.  
Qui timet, ingrato DEVS hac ne munera mundo  
Subtrahat, ille graui non timet absq<sup>3</sup> fide.

Mulhusij 12. Augusti,  
Anno 1584.

M. Ludouicus Helmbol-  
dus Mulhusinae Ecclesiae  
Minister.

D. Michaël



D. MICHAEL NE-  
ANDER IN EPISTOLA AD  
Iohannem Pontanum, Medi-  
cinæ Doctorem, &c.  
Anno 1565.

CLARISSIMO VIRO Dn.  
M. Lindemanno.

**V**a præstantia me  
excuset, & salutem ipsi meo  
nomine dicere non grauetur.  
In altera parte Gnomologici  
mei, est Sapphicum græcum, de miseria,  
vnâ etiam dignitate & gloria Pædago-  
gorum: vbi suo loco ejus etiam, vt vete-  
rani Præceptoris facta est mentio, quam  
ipsi non ingrâtâ futuram existimo: signi-  
ficationem sempiternam perpetui mei  
in ipsum studij ac obseruantia, optimè  
longo tempore meritum de discentium  
studijs. Beatum ter & amplius, quòd bo-  
num opus operatus est tot annis, in Ca-  
thedra illa misera, contemta, laboriosa &  
sterili, vt Satyricus nō verè eam sterilem  
nominat. Ex Ilfelda τὰ Χίσιον. 8. Iulij.

D 4

M. Cyriaci



M. CYRIACI LINDEMANNI,  
Gothanae Scholae quondam Rectoris.

EPISTOLÆ QVÆ  
DAM PARÆNETI-

cæ: in quibus etiam instituendo-  
rum studiorum aliqua ratio  
monstratur.

IN VSV M SCHOLASTICAE  
Iuuentutis euulgatæ: studio &  
opera M. Cyriaci Snegassij,

ANNEXIS IIS, QVÆ DE EA-  
dem materia fratri suo præscripsit Cla-  
rissimus Vir M. Iohannes Rosa,  
Professor olim Academiae  
Ienensis.

PRÆFATIVNCVLA.  
SCHOLASTICAE  
Iuuentuti, S.

**P**IETATIS OFFICIUM FACERE VO-  
lui, dum præter Epicedia, Epistolas quasdam optimi  
Præceptoris M. CYRIACI LINDEMANNI, piæ  
memorie, Soceri mei amantissimi, Dinkeliane huic  
Orationi tum erudite tum piæ annexi. Cum enim non  
tantum



tantum instituendorum studiorum rationem quandam  
breuiter monstrent, verumetiam pulcherrimis γνώμασι,  
ceu flosculis odoriferis, & salutaribus monitiis resperse  
passim sint, ut non sine aliquo fructu à junioribus perlu-  
strari posse videantur: religio mihi fuit, eas iuter priua-  
tos parietes diutius reseruare, & ut vel à tineis arrodan-  
tur, vel prorsus aliquando ab imperitiis ( ita ut sit ) tan-  
quam charta ineptæ abijciantur, committere. Ut enim  
Doctorum Virorum elaborata Volumina in precio habe-  
nda: ita ejusmodi etiam micæ siue fragmenta nequaquam  
aspernanda aut fastidienda censeo. Habet enim & his lo-  
cum Seruatoris nostri mandatum, quod extat apud Io-  
hannem Euangelistam: συναγάγετε τὰ περισσεί-  
σαντα κλάσματα, ἵνα μὴ τι ἀπόληται. Addidit  
etiam ea, quæ clarissimus atq; piissimus Vir, M. Iohannes  
Rosa, Academia Ienensis olim Professor primarius, Præ-  
ceptor meus honorandus, fratri suo de instituendis studiis,  
magna diligentia & fidelitate præscripsit: ab amico quo-  
dam intimo, ὃ νῦν ἐστὶ ἀγιώτης, mihi communicata. Tu  
vide, dilecta iuuentus, ut grato pectore accipias & frua-  
ris. Fons omnis sapientiæ CHRISTVS IESVS, sit Βρυ-  
χαιὸς καὶ ἀγωνοθέτης studiorum tuorum: in quo  
viue & vale in æternam, Amen. Fridrichroda propè ce-  
lebre quondam Cœnobium Reinhardifontanum, Anno  
1592. Die 6. Octobris, natali scilicet meo, vel potius  
regenerationis die, ante annos, Deo laus, quadraginta sex.

M. Cyriacus Snegassius, Pastor,  
Sup. Vin. Adjunctus.

D 5 M. Cyriaci



M. CYRIACI LIN-  
DEMANNI EPISTO.

LÆ OCTO.

I.

HONESTO ET ERVDITO,  
bonæq; spei adolescenti, FRIDE-  
RICO MYCONIO, affini  
suo charissimo.

(Nota. Hic Fridericus, Reuerendi Domini Fri-  
derici Myconij, Superintendentis olim Gothani,  
Viri optimi, magniq; nominis Theologi, filius  
fuit.)

S. Valere te & feliciter Lipsiam per-  
uenisse non dubito. De literis, quas à D.  
Iusto patre, & à me acceperas, non nihil  
veritus sum, ne quid in itinere per negli-  
gentiam amitteres. Certiorem igitur me  
facies, an saluas omnes Lipsiam attuleris,  
& an D. Philippum ibi conueneris, &  
quid tibi meæ literæ ad D. Magistrū Fusi-  
um profuerint, &c. Tu vide, vt strenuè  
officio tuo fungaris. DEVM autorem vi-  
tæ ac salutis tuæ ex animo colas & reue-  
rearis, ad ejusq; gloriã tum vitæ actiones  
omnes, tum studia & conatus dirigas. Fa-  
mam & gloriam parentis tui ita animo  
circumferas,



circūferas, vt semper memineris, eius exemplum vita & studijs tibi exprimendum esse, nihilq; committendum, quod eius dignitatem obscurare possit. Cicero- nem audiisti in Officijs filio suo dicere, optimam esse hæreditatem, quæ à parentibus tradatur liberis, omniq; patrimonio præstantiorem, gloriam virtutis rerumq; gestarum, eiq; dedecori esse, nefas & viciū iudicandum esse. Hoc præceptum recole, & parentis optimi vestigia persequere. Bene vale. Dominica iubilate. Anno M. D. LV.

Cyriacus Lindeman.

II.

HONESTO ET ERVDITO,  
bonæq; spei adolescenti Friderico  
Myconio, Vitebergæ bonis li-  
teris dedito, affini suo  
charissimo.

S. Cum hæc scribebam, Friderice, nondum tuas acceperam literas, quas Lipsiæ te dedisse ex Valentino N. consobri- no tuo meoq; affine cognouerā. Eas autem cum aureis malis redditurum se mihi dixit D. Portunus, cum primū auriga aduexerit.



aduexerit, quod cras futurum autumat.  
Te, vt Lipsiam, ita etiam Vitebergam  
saluum & incolumem peruenisse spero,  
idq; Deum tibi fortunare cupio: quod fiet  
haud dubiè, si casta mente & assiduis pre-  
cibus aeternum eius numen venerabere,  
& exemplum Parentis ob oculos habue-  
ris, causamq; peregrinationis ex animo  
nunquam amiseris. Nondum tibi occi-  
no Homericum illud peruulgatum:

Ἄλχρὸν τοι δὴρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι. *Id est,*  
*Tu ne manere diu peregrè vacuumq; redire.*

Optime enim, spero, te & pecuniam &  
tempus, preciosissimum sumtum, collo-  
caturum. Hoc moneo, vt Bacchantem,  
quem vocant, id est, Ethnicum & barba-  
rum Sciolum, non per ludum tantum &  
jocum, sed seriò exuas & deponas, &  
Christianum induas ac humanum φιλο-  
μαθῆν, atq; ad eò verè φιλόσοφον, id est, diui-  
næ & humanæ sapientiæ cupidum ac stu-  
diosum. Ita enim piè & feliciter multa  
disces. Verissimum est enim Isocrateum  
illud: Ἐὰν ἦς φιλομαθῆς, ἔσῃ πολυμαθῆς. Quod  
vt fiat, cauere te velim & longè fugere  
omnia improborum consortia. Nosti  
enim & meministi Menandri Senatium,  
qui &



qui & Gentium Doctori PAVLO placuit: φθείρασι η̄θη̄ κ̄καθ' ὁμιλίαι κακαί. Vitabis igitur & ἀλικὸν ἢ πικρὸν μᾶλλον ἐκείνον, quem audio moribus esse parentum indulgentia corruptissimis, ne qua ab eo labe tibi aspergatur. Hæc ita curæ tibi fore spero. Fac ut quàm creberrimè ad me scribas, nec quenquã certum hominem sine tuis literis ad nos venire sinas. Et cum mihi scribes, scribes etiam D. Iusto parenti & alijs. Cupio autem cognoscere de habitatione tua, de mensa, contubernaliibus & conuictoribus, & præcipuè de lectionibus & studijs tuis. Mitto tibi γυνεσθαι, quas hîc reliqueras à me accepturus. Bene vale, & strenuè discere. Salutabis meo nomine Magistrum Eusebium, cui pro medica Oratione ad me missa magnas ago gratias, relaturus aliquando. Saluta & Georgium M. fratrem, & consobrinũ tuum Iohannem Langenhaun. Salutante Soror tua cum filiabus. xiiii. Maij, Anno 1555.

Cyriacus Lindeman.

III. Honesto



III.  
HONESTO ET ERVDITO,  
bonæq; spei adolescenti Friderico  
Myconio, Vitebergæ bonis ar-  
tibus dedito, affini suo  
charissimo.

S. Pridie Trinitatis, id est, v. Idus  
Iunij, binas tuas literas accepi, Friderice,  
quarum vnis gratitudinem animi tui  
mihi declaras, alteris studiorum & victus  
rationem explicas: quorum vtrumq; co-  
gnitu mihi fuit iucundissimum. Præci-  
puè autem gratitudinis significatio pla-  
cuit, quia liberalem animum, & pietatis  
atq; officij studiosum præ se ferre videba-  
tur. Etsi enim mea in te beneficia tenuio-  
ra sunt voluntate mea, tamen studium  
meum tibi probari gaudeo. Nec dubito,  
si cum ætate prudentia major accreuerit,  
certiùs te aliquando perspecturum, quòd  
non malè studijs tuis consultum volue-  
rim. Neq; verò desinam pro mea facul-  
tate & promouere & ornare studia tua,  
cum & propter parentem tuum de me-  
meisq; studijs optimè meritū, & propter  
affinitatem ac necessitudinem semel te  
ornandam susceperim. Spero etiã ita te  
istïc



istis victurum, ut pietate ac honestate  
morum, discendiq; alacritate, studia bo-  
norum Virorum tibi concilies: idq; ut  
pietate & modestia efficias, etiam atq;  
etiam hortor. Ita enim nunquam tibi de-  
erunt patroni & κοσμίτορες. Nam ut ni-  
hil est honestius ac laudabilius, ita etiam  
nihil fructuosius, quam principibus pla-  
cuisset Viris. In hoc igitur toto pectore  
incumbes, ut honorum & praestantium  
Virorum gratiam & pares tibi & confer-  
ues.

Cum aequalibus literarum & hone-  
statis amantibus jucundè & humaniter  
converseris: petulantes, contumaces &  
improbos ceu pestem fugias, ne κακῶς ὀμι-  
λῶν καυτὸς ἐκβῆσῃ κακός. Magnam, ajunt,  
Juventutis petulantiam morumq; disso-  
lutionem istis videri. Si verum est, dili-  
gens tibi morum erit habenda ratio, ne  
dissolutior nobis aliquando redeas quam  
abieras. Difficile est enim communis vi-  
cij non quoq; labe trahi, ut graecus etiam  
Senarius docet: ὡς ἔργον εἶναι ζῆλον ἐν παντί  
ἡθεσιν. Quanquam & alia est hujus Verus  
sententia, nempe quod cum malis mori-  
bus beata Vita non possit esse conjuncta.  
Quae



Que de valetudine tua, habitatione, mensa, conuictoribus, lectionibus & depositione scripsisti, libenter cognoui. Nam bene te habere, & commodè istic degere, magnæ mihi voluptati est, & cupio, vt hoc proprium tibi sit ac perpetuum.

Quod ad studia attinet, omninò hortor, vt cum Grammatica jungas Dialecticam & Rhetoricam, & ad earum artium præcepta sedulò te astringas, vt solidam tibi compares eruditionē. Arithmeticæ succisuis horis operam dabis, & suo tempore Geometrica & Astronomica adjunges: semperq; animaduertes, nō quàm multa discas, sed quàm directum eruditionis iter sequaris. Id autem Dialectica tibi monstrabit. Studiorum confusa & indigesta varietate obruitur potius ingenium, quàm excolitur. Et hūc spectare videtur Hipponis Versiculus:

πρὸ μαθημοσύνη τῆς ἑ κενώτερον ἄλλο.

Quapropter non putabis consultum esse, multas audire lectiones, & quod quidam faciunt, totos dies ex Præceptorum ore pendere, sed paucas & optimas rectè cognoscere. Sicut in valetudinis curatione non refert, quam multi cibi ingerantur, sed

AB



sed quàm benè cōcoquantur & digerantur. Exercitationem styli, ne sterile scat ingenium, non minùs quàm auscultationem necessariam duces, & ei rei singulis diebus aliquot horas dabis, vt nunc Epistolam aut Carmen componas, nunc Declamatiunculam mediteris, aut disputando & Syllogismos cudendo te exerceas. Sed hoc fortasse γλαυκας εἰς Αθήνας videbitur, cum de his rebus doctissimos Præceptores quotidie istic differentes audias. At hæc ego non tam docendi tui, quàm monendi causa scripsi, quòd cum hïc esses, ad auscultationes & annotationum descriptiones, quàm ad Styli exercitia, propensior mihi videbare. Sed hoc spero te correcturum istic. Idq; si feceris, mihi gratum, tibi verò magno vsui & emolumento erit. Verissimum est enim quod Cicero de Oratore scribit, Caput eloquentiæ esse quàm plurimū scribere. Mitto tibi præcepta Timotheo à Parente D. Iusto præscripta, eisq; Angelotum inclusi, quem non arbitror fore istic & πὸ Βλακτορ. Benè vale & rescribe. xxi. Iunij  
Anno M. D. LV.

Cyriacus Lindeman, Magister.

E

III. Egregia



IIII.

EGREGIA VIRTUTE ET

Doctrina prædito Friderico My-  
conio, lenæ bonis artibus de-  
dito, affini suo charissimo.

S. Ex quo lenam reuersus es, Friderice,  
duæ mihi abs te Epistolæ redditæ sunt: V-  
nam Georgius Rorarius attulit, cum Epi-  
thalamio Domini Stigelij, & versione  
mea extemporali trium Aristophanis  
Comœdiarū: Alteram Fridericus V Val-  
deccerus attulit, cum Rythmis parentis  
tui, de Vita sua & rebus gestis. Ea grata  
mihi fuerunt omnia. Imprimis verò pla-  
cuit persuasio de me tua, quòd & studia  
& mores tui mihi curæ sint, & quàm do-  
ctissimum & honestissimum te esse cupi-  
am. Ideoq; liberas admonitiones meas  
etiam candidas esse iudicas. Id enim jam-  
pridem persuasissimum tibi esse volui. Et  
malo te nunc id intelligere, quàm cum  
periculo aliquando experiri. Nam euen-  
tus stultorum magister est, si Liuius cre-  
dimus.

Placuit etiam mihi, quod de lecti-  
onibus scripsisti, inprimisq; de græca  
Grammatica,



Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Arithmetica, Astronomiæ principijs. Indè enim solidam hauries eruditionem. Rectè autem & Locos communes addis, & Libellum de Anima. Hæc enim omnia ab adolescentibus cognosci par est. Ciceronem velim te assiduè legere, & cum Latinis Græcos etiam cognoscere Auctores: suo tamen modo & ordine, ne confundantur aut perturbentur tua studia. Vt enim nihil *εὐταξία* melius est, ita nihil *ἀταξία* nocentius.

Stylum autem imprimis vt exerceas, moneo, cùm soluta Oratione, tùm Versibus, & tam Græco quàm Latino sermone. Vtriusq; enim facultas tibi comparanda est. Et in stylo omnia sita sunt, vt Cicero inquit: Stylus optimus dicendi effector & magister est. Sine stylo flaccescunt omnia.

Deniq; ad certum aliquem finem & quasi scopum studia tua dirigere velim, vt dicendi artibus cognitis, & Mathematicis mediocriter perceptis, omnia cò referas. Maturè igitur certam aliquam professionem tibi elige, ad quam studiorum quasi curriculum dirigas. In ea autem  
E 2                      delibera.



deliberatione naturam tuam in consili-  
um adhibe, & eo duce certum aliquod  
ingredere iter. Rectè enim & Cicero do-  
cet, in deliberatione de Vitæ genere con-  
siliium omne, ad suam cuiq; naturam, re-  
uocandum esse. Ea autem vel ad Theo-  
logicam, vel ad Medicam, aut Iuridicam  
Facultatem seu professionem te vocabit.  
Tu vocatus sequere, & constantiã præsta.

Spero etiam te adhuc in memoria  
habere, quæ de horum temporum certa-  
minibus tecum, & in curru, & domi meæ  
locutus sum: nempe, vt supersederes illis  
raxis & minimè necessarijs contentioni-  
bus, & neq; ætati tuæ, nec personæ conue-  
nientibus. Et spero te obtemperaturum  
consilio meo, quod ipse honestum &  
utile esse iudicasti. Placidos mores Græ-  
cus Senarius salutis signum esse docet:  
*σωτηρία σῆμα ἡμερῶν τρόπος.* Hos igitur  
cole, & contentiones fuge, præsertim  
cum *ὁμοτέχνῳ* & *συμμαθηταῖς*. Bonum  
est enim & iucundum, habitare fratres in  
vnum: Malum, dissidere & belligerare.  
Rectè autem & meritò fratres habentur,  
qui eosdem animarum parentes, id est,  
qui iisdem vtuntur Præceptoribus.

Quæ



Quæ scripsisti de morbo Domini  
Stigelij, quo climacterico anno xxi. la-  
borauerit, nota mihi sunt. Adfui enim  
eo tempore egrotanti Vitebergæ, & mul-  
tos etiam gustavi. Domino Neandro affi-  
ni nostro Doctoratus gradum & dignita-  
tem gratulor: eiq; velim meo nomine,  
occasione oblata, salutem dicas. De libris  
Parentis tui ad Dominum Aurifabrum  
scripsi, cui & Epistolas quasdam Lutheri  
à Patre tuo descriptas misi. Spero nos ali-  
quando eas recuperaturos. Henrico Thi-  
loni gratiam habeo, quòd Neandri Di-  
sputationem misit. Salutabit & illum &  
reliquos Ciues nostros. Benè vale, & Vir-  
tutem ac literas cole. Die Francisci, An-  
no M. D. LVIII.

Cyriacus Lindeman.

V.

AD M. MELCHIOREM HER-  
telium, &c. Roteburgi ad Tubarim.

S. Gratissima mihi accidit opera tua,  
Magister Melchior Herteli, quam Fride-  
rico nostro in pactione istic oblatae con-  
ditionis scholasticæ præstitisti, & ipsum  
officij tui vel potius beneficij memorem

E 3

fore.



fore spero. Sed non minus grata mihi  
atq; accepta fuit, insignis quædam bene-  
uolentiæ erga me tuæ significatio, quam  
in literis tuis ad me scripsisti, & in primis  
in suauissimis atq; elegantissimis Hende-  
casyllabis ostendisti. Non enim mihi nō  
potest iucundum esse, placere bonis, &  
laudari à laudatis: quo & Næuianus He-  
ctor, vt apud Ciceronem legitur, singula-  
ri se voluptate affectum fuisse confessus  
est. Non sum ambitiosus aut φιλόδοξος,  
& scio τὸ λίσσασθαι ἀνθρώπων βαρύνεσθαι: Sed dele-  
ctor tamen τῷ ἡδίστῳ ἀκροάματι, vt est apud  
Xenophontem: præsertim si id ab assen-  
tationis aut captionis suspicione remo-  
tum est.

Respondissem autem tibi vel eodem  
Carminis genere, vel diuerso, nisi obsti-  
tissent mihi alia negocia, quæ hanc vo-  
luntatem animo meo excussissent.

Tibi gratulor de ocio literato, quo  
te abundare quodammodo ex Friderici  
indicatione cognoui: nec dubito quin  
rectissimè eo vtaris. Scio enim te verè  
amare non pietatis tantùm, sed etiam  
solidæ eruditionis ac literaturæ studium.  
Et intelligo ex ingenij tui fœtibus, te non  
abiecisse



abiecisse humanitatis studia, vt quidam faciunt: quibus ista propter ipsorum ignauiam quasi sordere videntur, si paululum modò ad maiora aspirârunt. Tua igitur & virtus & prudentia laudem meretur. Sed hac hæctenus.

Friderico nostro autor fui matureandi ad vos profectiorem suam, & sistendi se præfinito tempore: & spero, vos illum habituros obsequentem, & sui negotij benè gerentem. Te verò, non dubito, & ducem ei, & monitorem fore, ad omne virtutis atq; eruditionis decus: & vt facias, vehementer oro. De honesto & comodo hospitio ei vt prospicias, admonitione non opus esse iudico. Scio enim id tibi pro amore in eum tuo curæ esse.

Quod reliquum est, totum illud tibi trado de manu, vt dici solet, in manum tuam pietate & fide plenam. De alijs, quæ scribenda & monenda videbuntur, alia fortasse occasio se offeret. Et nunc quidem officij mei rationes, aliò me vocant. Benè igitur vale cum omnibus tuis. 27. Februarij, Anno M. D. LXIII.

Cyriacus Lindeman.

E 4

VI. Ad



## VI.

AD ADOLESCENTEM  
quendam, Studiosum. &c.

S. Accepimus binas tuas, Pancratius & ego, diuersis temporibus ad nos datas literas, quarum in vnis gratias agis pro acceptis à nobis doctrinæ & institutionis beneficijs, in alteris Angelorum erga humanum genus beneficia grato itidem animo prædicas. Legimus & Carmina tua de Christi ad Coelos ascensione, deq; benefica Angelorum erga pios cura & sollicitudine. Et probatur nobis tum virtus tum industria tua: quarum illa ex gratiarum actione elucet, hæc in solutæ & vinctæ orationis compositione apparet. Etsi autem mea erga te beneficia voluntate mea tenuiora sunt: tamen gratitudinis tuæ significationem amplector, cum *εὐχαριστία* bonæ mentis signum sit certissimum, vt contra *ἀχαριστία* *δενῶν πάντων μητρόπολις*, quod apud Athenzum de Vino dicitur.

Diligentiam quoq; tuam in exercendo stylo, & cum soluta, tum ligata oratione formanda non possum non probare.

Quædam



Quædam interdum eam fugiunt, quæ  
exercitij crebritas assequetur. Tu modò,  
vt cœpisti, strenuè perge, vt priores cona-  
tus posterioribus subindè superes. Patri  
tuo Viro optimo placere intelligo, vt  
plus operæ & studij ponas in græcis literis  
discendis. Et hoc illud est, quod etiam  
Cicero parens filio suo suadet, vt vtriusq;  
orationis sibi facultatem comparet. Tu  
igitur consilium Parentis piè, rectè, &  
vtiliter sequeris. Et latini quidem sermo-  
nis sine græca lingua non potest solida  
esse cognitio, aut vsus ἀνέγκλιτος καὶ ἀνε-  
πίκλητος. Ego, quia Ecclesiasticum ali-  
quando Oratorem Patris vestigijs insi-  
stentem te fore arbitror, hoc etiam sua-  
deo, vt interdum Declamatiunculam ali-  
quam mediteris: & dicendi artibus per-  
ceptis, ac mediocri vsu confirmatis, ali-  
as quoq; artes adjungas, quarum & cogni-  
tio est liberalis, & vsus necessarius, vt Ma-  
thematicum. Sed hæc tibi subijcere super-  
uacaneum videri queat, cum doctissimos  
Præceptores assiduè & grauitè ista do-  
centes audias, quos tu sequeris vt opti-  
mos ad Virtutem duces. Cupit enim Pa-  
ter, vt solidam tibi eruditionem compa-

E S

tes, &



res, & aliquando ad honores scholasticos  
aspices. Et de hoc ipse, vt arbitror, te ad-  
monebit, & tu officium tuum voluntati  
Parentis non deesse patieris. Ita enim  
naturam tuam perspexi, vt te amare lau-  
dem, & ad eam rectis studijs contendere,  
tibiq; persuadere statuam. Ἀρετὰ μὲν πολὺ μολ-  
θα γένηται βροτείῳ, θήραμα τῷ βίῳ κάλλιστον εἶναι,  
vt apud Aristoph. canitur. Quod iudici-  
um etsi admiratione diuitiarum & vo-  
luptatum sæpè obscuratur, tamen recti-  
ssimum est, & cordato homine dignissi-  
mum. Et hoc ita animo tuo insitum esse  
puto, vt euelli facilè non possit. Benè  
vale.

Cyriacus Lindeman, M.

VII.

AD AMICVM QVENDAM,

Studiosum Vitebergensem, &c.

De ratione discendi græca.

S. Quòd tanto temporis spacio, mi  
Alexi, nullas ad te literas dedi, & tabella-  
riorum penuria & occupationes meæ in  
causa fuerunt. Sed communem hanc di-  
ces excusationem esse: Ego verò hoc  
tempore hanc πρόφασιν rectè & justè huic  
moræ



moræ prætereundere possum. Sed expecto  
quid tu habueris causæ, quòd tam diu li-  
terarũ officium intermisisti, &c. Si quod  
cupiebas, Vitebergam ad te rationem di-  
scendi græcas literas mitterem, noctuas  
Athenas mitterem, cum audias ista Vite-  
bergæ sæpissimè à summis Viris ac Præ-  
ceptoribus nostris, à quorum doctrinâ &  
experientia ego adhuc longissimè ab-  
sum. Nam & ego quidem non diuersam  
aliquam rationem secutus sum, ab ea  
quam ipsi tradunt.

Parauit autem mihi hanc qualem-  
cunq; cognitionem græcæ linguæ, docen-  
do magis alios quàm discendo. Aliquo-  
ties enim Grammaticam græcæ linguæ  
Pueris prælegi, ubi hoc studio habui, vt  
omnia quàm enucleatissimè explicarẽ,  
omniumq; Verborum proprietatem &  
originem quàm exactissimè inuestiga-  
rem. Cognoui enim in principio statim,  
omnem vim græcæ linguæ in *Ετυμολογία*  
sitam esse. Grammaticæ postea subjunxi  
elegantissimos quosq; Dialogos Luciani,  
cujus oratio florida est & verè Attica. His  
postea adieci Isocratis & Demosthenis  
breuissimas quasq; orationes. Neq; tan-  
tùm legi,



cūm legi, sed singula accuratiū enuclea-  
ui & discussi, & postremò in latinum ser-  
monem conuerti. Ab his paulatim ad  
Poetas accessi, cognitis prius & diligenter  
obseruatis dicendi generibus, quos Δια-  
λέκτες vocant. Legi igitur primūm sum-  
mo studio Hesiodi ἔργα καὶ ἡμῆρας, deinde  
Homeri Batrachomyomachian, post li-  
bros aliquot Iliados. Ab his ad Tragicos  
accessi, auideq; primūm Euripidem, de-  
inde Sophoclem arripui. Nec contentus  
fui legendis & intelligendis autoribus,  
sed plæraq; etiam memoriæ mandavi. Et  
scribendo etiam tam soluta Oratione  
quàm Carminibus me exercui.

Hoc studio exiguam quandam hujus  
linguæ cognitionem consecutus sum: sed  
eam tamen, quam grandi ære non per-  
mutarem. Nemo enim vnquàm lati-  
nam linguam perfectè discet, aut ex veris  
Philosophiæ fontibus bibet, cui non ali-  
qua fuerit hujus sermonis facultas.

Hoc meum exemplum si volueris  
sequi, licebit per me: poteris tamen do-  
ctiora quotidie istic ex alijs audire. Et  
quotidiana tibi consuetudo intercedit cū  
D. Magistro Iohanne Holfaciense, hujus  
linguæ



linguæ peritissimo Viro, cujus consilio  
& autoritate vti poteris. &c.

Cyriacus Lindeman, M.

VIII.

AD DOMINUM M. MARTI-  
num V Villissium, &c. vocatum in  
Conrectorem Scholæ Gothanæ,  
Lipsiæ tum hærentem.

S. Primùm hunc ineuntem nouum  
annum, bonum, faustum, felicem, fortu-  
natumq; tibi esse cupio. Deinde quia  
multis de causis quàm primùm hîc te vi-  
dere cupio, moneo & hortor, vt aduen-  
tum ad nos tuum matures, nec vllam  
ampliùs moram facias. Verè enim.

*Sustineo graue solus onus, Martine diserte,  
Alcides humeros defesso commoda Atlanti.*

Licèt enim nobis magnificè loqui de la-  
boribus nostris, quos vulgus quidem ho-  
minum stolidè & improbè contemnit,  
DEVS autem magni facit & magnificè  
ornat, vt sanctissimus Vates indicat. Qui  
ad Iusticiam erudiunt multos, fulgebunt  
quasi Stellæ in perpetuas æternitates. Su-  
mus igitur, si recta rem via reputamus,  
non tantùm Atlantes & Hercules, sed  
ipsa



ipsa etiam lucidissima Coeli corpora, ὅτι  
φύσει ἀλλὰ δ' ἀνάγκη, ἢ, ὡς ἐλάχιστον ὁμοιώσει.  
Et hæc diuinitus proposita præmia sti-  
mulos tibi subjectura spero, vt pueritiæ  
erudiendæ quàm primùm operam tuam  
addicere, & ad susceptæ prouinciæ admi-  
nistrationem accurrere vel potius aduo-  
lare cupias. Idq; omninò curæ tibi futu-  
rum spero, & vt sit vehementer oro. Vt  
supellex tua libraria quàm commodissi-  
mè ad nos aduehatur, Consuli Ciuitatis  
nostre D. Iohanni Schmid, cui has literas  
dedi, curæ futurum spero. Vt autem hinc  
reddantur itineris sumtus & vecturæ præ-  
cia, opera etiam ab ijs dabitur, quorum  
hoc curare interest. Tu intereà benè va-  
le, & feliciter accurre: Gothæ pridie Cal.  
Ian. ineunte Anno M. D. LXIII.

Cyriacus Lindeman.

Epistolarum M. Cyriaci  
Lindemanni finis.



RATIO DE  
INSTITV EN-  
dis Studijs.

PRÆSCRIPTA A  
CLARISSIMO VIRO M. IO.  
hanne Rosa, Academiæ Ienensis  
Professore, fratri suo  
VITO.



VDIVISTI, ME NV-  
per de causis differentē,  
quæ alios ad aliud Vitæ  
genus amplectendū in-  
uitarent, occasione ejus  
loci, quem tūm in Cicc-  
rone explicabam, monuisse, quantum  
hac in parte posset multitudinis judici-  
um: quo moti plæriq; ea potissimum ex-  
optant, quæ majori parte arridere & pro-  
bari intelligunt. Etsi autem, vt tūm judi-  
cabam, hoc ipsum videtur aliquid for-  
tassè afferre momenti ad excolendas stu-  
diosius artes, propterea quòd dum ea,  
quæ



quæ pluribus placent, & idcirco plus ad-  
mirationis & honoris promittunt, exci-  
tant ingenia, vt certatim in illis elabo-  
randum esse statuunt, ac turpe ducant de-  
ficere, aut vlli cedere in eo, quod summo  
studio à multis appetitur, & à plurimis  
cum maiore applausu, & quasi cum gra-  
tiarum actione excipitur: tamen hoc in-  
commodi habet hæc ratio, vt & multi  
non tam eò, quò vulgi iudicium ducit,  
cant, quàm, cum multitudo & φιλόκαινο  
& ἀψικος, veluti satiata rei nouæ desi-  
derio animum mutat, ipsos quoq; tan-  
quàm à fine, ad quem tendebant, iam ex-  
clusos, propositi pæniteat. Atq; hæc ipsa  
causa non postrema est, cur plerunq;  
vna & eadem ætate, vnum studium præ  
cæteris præcipuè floreat, consenescant  
cætera. Vidimus viuentem adhuc diuino  
LUTHERO, quàm inter se certarent  
etiam felicissima ingenia de colendo stu-  
dio Theologico. Erat enim illa insperata  
Religionis κατ' ὄρωσις tum accepta omni-  
bus, in quibus non Ventræ latratus, vel  
libidinum turbines, animi sensus vel pe-  
nitentia retuderant, vel certè in seruitutem  
redegerant. Nunc postquam illa vulgi  
admiratio



admiratio deferbuit, quotusquisq; est, in quo non iste ardor seruiendi Deo in ministerio defecerit, vel potius sit extinctus? An non maxima pars eorum praesertim, qui aliquam de suo ingenio fiduciam conceperunt, quoduis potius facere mauult, quam ad humile, abiectum, spre- tum, omnis generis periculis & contem- tui expositum doctrinae coelestis studium se conferre?

Hæc considerare ad hoc certè mul- tum prodest, vt discamus, quantò satius sit, aliam certiozem Regulam in delectu studiorum sequi, quam vulgi temerari- um & nunquam perpetuò sibi constans arbitrium: & quantò rectiùs faciant, qui DEVM & NATVRAM in consilium adhibent, quam qui maioris coetus siue acclamatione siue subsannatione sibi fu- cum fieri patiuntur. Nec alio consilio hæc commemoro, nisi vt intelligas, te, cui propositum est, omnem ætatem præcipuè in discenda doctrina Ecclesie con- sumere, iudicia vulgi (de quo sæpè ve- rum est, quod dici solet: Vtrem pro ci- thara gaudet habere Mydas) non mul- tum curare, sed excelso animo contem-

F nere, &



nerē, & potius diuinum illum impetum,  
quem non tam natura tibi peperit, quàm  
Spiritus sanctus voce optimi tui Patris  
accendit, fouere, & ἀναζωπυρῆν debere. Id  
quod hoc in loco euoluerem latius, si aut  
de tuo animo dubitarem, aut res hæc ob-  
scurior esset, quàm cui breuis hæc ἐπι-  
γραφή sufficeret.

Nunc cum hoc proximum sit, vt  
postquàm certam studiorū metam apud  
animum tuum constituisti, media deli-  
gas, quæ te rectissimè sine errore & sine  
ambagibus ad eam ducant, & te voti tui  
compotem faciant: hoc primùm admo-  
nendus es, quod toties diuinus LVTHE-  
RVS Theologiæ studiosis etiam atq; eti-  
am considerandum esse affirmavit, &  
scriptis etiam suis consignatum reliquit:  
Studium videlicet doctrinæ cœlestis, sola  
θεωρία nequaquàm esse contentum, sed in  
hoc doctrinarū genere, Meditationem,  
Inuocationem & Tentationem pariter  
ire oportere. Quid enim proficeret in sa-  
cris literis, qui non ardentè à DEO, hu-  
jus arcanissimæ & inexhaustæ Sapientiæ  
Fonte intellectum peteret? Cum, vt re-  
ctissimè ab Irenæo dictum est, DEVM  
fine



sine DEO nemo possit cognoscere. Quid  
in illis assequeretur, quem non crux mul-  
tiplex, & quotidiana exercitia poeniten-  
tiæ crudirent? Bonum mihi DOMINE,  
quòd humiliasti me, vt discerem justifi-  
cationes tuas, inquit Psalmus 119. Opor-  
tet igitur te æquè atq; alios, qui in hoc  
studio currunt, non esse segnem in Inuo-  
catione, sed assiduè miscere studiorum  
labori gemitus, & petere à DEO, vt in  
mente eam lucem accendat, de qua Da-  
uid inquit: In lumine tuo videbimus lu-  
men: & omnes conatus, omnes cogitati-  
ones, omnes actiones in omni Vita tua,  
ad normam voluntatis suæ dirigat, vt ipsi  
grata, & tibi atq; alijs salutaria cogites, di-  
cas, facias & perficias.

Oportet præterea etiam in exercitijs  
poenitentiae, & qualibuscunq; veluti pro-  
gymnasmatibus, quibus tenera ætas, ex pers  
adhuc grauiorum malorum, velut in are-  
na, nauigandi periculum facit, ad vsum  
paulatim transferre ea, quæ meditatione  
percepta sunt. Non enim medicina, non  
oratoria, non militaris scientia, vsum &  
exercitationem magis quàm Theologia  
desiderat. Vel vnus Liber Psalmorum,  
F 2 quàm



quàm est plenus doctrinæ, si ad hanc per-  
ennem & nunquàm ἐξυδρῶν scaturiginem  
se recipiat anima, in qua ardentem sitim,  
siue ab externis miserijs oborta lassitudo,  
siue internarū tentationum rapidi æstus  
accenderunt? Scribant licet omnes, &  
quantum possint singuli ad huius Libri  
explicationē conferant, vel vna arumna  
subscribens Psalmorum Versibus, & ex  
se rerum, quæ in hoc augustissimo Poë-  
mate continentur, documentum perci-  
piens, omnes omnium enarrationes vini-  
cit. Sed non ero in commendanda In-  
uocatione & Tentatione longior.

Ad ea, quæ speculationi inserviunt,  
accedo. Hic meum consilium est, vt, pri-  
mis hisce Annis, labores tuos in octo Ca-  
pita distribuas, quæ sint:

1. Grammatica latina.
2. Linguæ græcæ studi-  
um.
3. Elementa Hebrææ  
linguæ.
4. Dialectica.



4. Dialectica.
5. Studium Rhetoricæ.
6. Initia doctrinæ Ethicæ.
7. Corpus doctrinæ Christianæ.
8. Sacræ Scripturæ lectio.

## I.

IN GRAMMATICA LATINA,  
te Præceptorum scopulos jam superasse  
intelligo, quæ deinceps crebris scribendi  
& loquendi exercitijs animo ita adhære-  
scent, vt non opus sit, in præceptis te diu-  
tius subsistere. Hoc autem, quod præce-  
ptis proximum, & Grammaticæ præci-  
puum munus est, nec Scholarum Triui-  
alium temporibus, sed vitæ spacio termi-  
natur, summo studio ages, vt scilicet elo-  
cutio tua, ad proprietatem vocum lati-  
narum, & ad naturā phrasium assuefiat.  
Id quo pacto fieri commodissimè possit,



Indicaui in lectione Rhetorices, cum nō  
ita pridem ea publicè traderem. Ac fuit  
mei consilij hæc ferè summa: vt certa ca-  
pita certo & perspicuo ordine disposita  
conscribantur, in quæ postea insigniora  
Vocabula, tam græca quàm latina, &  
phrases, ex probatissimis autoribus inter  
legendum excerptæ reponantur. Insigni-  
ora annotari volo. Nullo enim modo  
necesse est, ea, quæ velut panis quoridia-  
nus vbiq; se offerunt, singula conscribi:  
sed cum delectu ea annotanda sunt, quæ  
non ita mox in mentem nobis aliquid  
scripturis aut locuturis veniunt. Vt au-  
tem magis innotescant & animo impri-  
mantur, vtile erit, quoties aliquid in styli  
exercitijs efferre volueris, ad titulos ma-  
teriæ exponendæ cognatos decurrere: in-  
terdum etiam per ocium totum libellū  
perlegere. Sic sensim animus naturam  
sermonis imbibet, & ad imitationem pu-  
rioris & elegantioris elocutionis, cui vel  
maximè studere debet Grammatica dili-  
gentia, assueflet.

## II.

IN LINGVA GRAECA cum initia  
Grammaticæ



Grammaticæ perceperis, subjungere de-  
inceps necesse est lectionem autorum, ex  
quibus verba & græci sermonis idiomata  
peti possunt. Etsi autem ex hoc genere est  
Euripides, cuius Tragœdias publicè au-  
dies: tamen præter illam repetitionem  
te priuato quoq; studio aliquid in prosa  
legere, & inter legendum Vocabulorum  
significationes attentè considerare volo.  
Malo autem te priuatam tuam lectio-  
nem, postquam Parænesin Isocraticam  
præmiseris, à Philosophicis libris Plutar-  
chi, quàm ab alio quocunq; autore ordi-  
ri. Nam præterquàm quòd oratio ejus  
terfa est & propria, autor hic rebus opti-  
mis ita est refertus, vt nulla in eo ferè li-  
nea sit, quæ Lectorem non vtiliter de  
magnis rebus erudiat. Præ cæteris autem  
Platarchi Libris, commendo tibi libel-  
lum de Institutione puerorum: Apoph-  
thegmata, ad quæ versionem Erasmi ad-  
hibebis: Libellum de tranquillitate ani-  
mi: De discrimine adulatoris & amici:  
Quo pacto quis de seipso examen insti-  
tuere possit, & probare, vtrum in mori-  
bus profecerit: De sera admonitione Nu-  
minis: De cupiditate diuitiarum: De co-

F 4

hibenda



hibenda iracundia: De curiositate: Con-  
solationem ad Apollonium: Libellum  
de exilio: & si qui sunt similes. Politica  
fortasse à me prælegentur, vbi plus ocij  
nactus fuero.

### III.

IN GRAMMATICA HEBRAEA  
satis sit, te nunc Elementa in D. Snepffij  
Epitome comprehensa percipere: sicut  
ea quotannis in hac Schola repetuntur.

### IIII.

DIALECTICAM non consistere  
in Sophismatis aut ociosis & friuolis Næ-  
nijs & Sorbonisticis tricis, quæ similitæ  
sunt telis Aranearum, præ se ferentibus  
subtilitatem eximiam, ad nihil tamen  
utilem: sed esse & orationis magistram,  
& omnium Disciplinarum clauem, au-  
dies in lectione publica: vbi etiam, quo  
pacto præcepta in discendo ad vsum  
transferri oporteat, admoneberis.

### V.

NEC RHETORICAM addisci, cer-  
tum est, nimis concisis Leptologijs, qui-  
bus cu-



bus cumulandis multi nec finem nec modum statuunt. Habet ars suas metas, quibus dextrè cognitis addendus est vsus, optimus dicendi effector & magister. Audies igitur disertorum orationes, & assiduè repetes styli exercitia, ac quod in dicendo præcipuū est, in exercendo stylo curam maximam habebis inuentionis: ne in oratione, quod dici solet, sit Verborum flumen, & gutta mentis. Oratio primū sit neruosa: postea adhibeatur etiam disponendi & eleganter eloquendi diligentia.

## VI.

ETHICAE PHILOSOPHIAE gustus multiplices utilitates affert, & verè in toto corpore Philosophiæ, hæc pars tantum antecellit reliquis, quantò finis est potior ijs, quæ ad finem referuntur. Etsi autem ea, nisi accedat major lux, valdè informis est, mutila, & plena caliginis: Tamen cum diuinæ vocis  $\pi\upsilon\rho\sigma\omega$  illustratur, & sacræ Scripturæ regula corrigitur, & vitam ac motum de Cælo concipit, plurimūm prodest, vt sæpè dicitur. Proderit igitur legi Epitomen Philosophiæ

F 5

moralis,



moralis, à Philippo editam: & Ciceronis  
libros Ethicos cum ea conjungere. Ipsa  
quoq; Plutarchi lectio, est Ethica. Hanc  
lectionem suscipient historiarum: quæ nihil  
aliud sunt, quàm Exempla doctrinæ E-  
thicæ. Historiarum autem ut possint legi uti-  
liter, operæ precium est, breuem & eru-  
ditam earum veluti quandam *σύνοψιν*,  
qualem Philippus in suo Chronico com-  
plexus est: item annotationem annorum  
distinctam, qualis in Chronologia Func-  
cij continetur: deniq; Locorum inspecti-  
onem in Tabulis Cosmographicis exhi-  
bitam, semper conjungere. Sed de hac  
parte rùm indicabo quid sentiam, cum  
ad eam accesseris.

## VII.

CORPVS DOCTRINAE CHRIS-  
TIANAE nomino Catechismum seu  
Locos communes, complectentes capita  
& confessionem de præcipuis articulis fi-  
dei, quos necesse est omnes eos tenere,  
qui volunt fieri participes æternæ salutis.  
Quid autem in singulis Capitibus obser-  
uandum sit, in enarratione locorum est  
indicatum.

BIBLIA



## VIII.

**BIBLIA à Theologiæ Studioſo ſic legi plæriq; ſuadent, vt quotidie vnum Caput legatur. Illorum rationem etiam ſi non improbo, tamen ſi ingenuè dicendum eſt quod ego ſentio, ſic ſtatuo: In ſacris literis ei, cui pietatis ſtudium cordi eſt, videndum eſſe, ne multa legat, ſed vt multum, & vt ea, quæ legit, legat cum maxima attentione: quæ in illa ſuperficiâli inſpectione, vt ſic loquar, & illo quaſi præteruolatu ſeu tranſcurſu, præſtari certè non poteſt: ne dicam, quòd obiter & ſaltuatim inſpecta minùs altè memoriæ infident, & leui momento iterum efluunt. Magis itaq; probo, etiam ſi non ſingulis diebus ſingula Capita abſolui poſſunt, quotidie vnâ ad minimû horam dari legendo non ſolùm nudo textui, ſed etiam alicui ſuccinctæ & eruditæ eiusdem expoſitioni: vt quæ leguntur, quàm pauca etiam ea ſint, intelligantur aliquo modo, & mens deducatur in conſiderationem rerum, de quibus textus nos commonefacit, & de quibus non omnes tenebræ ætatis lectores mox cogitent.**

Habes



Habes, quid te per vnum atq; alte-  
rum annum (nam de subsequituris vide-  
bimus, si DEVS voluerit, suo tempore)  
facere velim. Sic autem has, de quibus di-  
xi, operas attribues, vt horis certis, quas à  
quarta aut quinta aut sexta matutina, &  
prima pomeridiana inchoabis, & decima  
meridiana & quarta vespertina conclu-  
des, certos & definitos labores, sed sine  
superstitione fatali cuiuspiam necessitatis  
aut legis monasticæ, attribuas: & quan-  
tum res feret, quæ repetitioni grauiorum  
lectionum debentur, in matutinum: quæ  
verò minus requirunt operæ, aut dicen-  
tem grata quadam voluptate magis affi-  
ciunt, in pomeridianum tempus conferas.  
DEVS æternus Pater Domini nostri IE-  
SV CHRISTI, te & nos omnes Spiritu  
sancto suo regat, doceat & gubernet,  
vt fiant ipsi grata, nobis atq;  
alijs salutaria.

SOLI DEO  
gloria.



ERPHORDIÆ  
Efaias Mechlerus ex-  
cudebat.



Anno nouissimi seculi.


---

M. D. XCIII.
















Pom Zc 39 49.

8

3

**ULB Halle**  
004 585 984




no. 1











Farbkarte #13

B.I.G.



17.405

M. CYRIACI  
LINDEMANNI

CHOLAE GOTHANAE  
m Præceptore, Optimo, Docti-  
Religiosissimoq; Oratio. In qua  
m de gubernatione eius Scho-  
docendiq; ratione commodissi-  
gitur: scripta, & habita finito  
amine autumnali in Scho-  
la Coburgensi.

A  
HANNÉ DINCKELIO,  
ore & Superintendente Gene-  
rali, eius Discipulo.

DITÆ SVNT,  
ER EPICEDIA, EPISTOLAS  
aranea Lindemanni, in quibus instituendo-  
orum aliqua ratio monstratur: & de eadem re  
m Celebrissimi Viri Dn. M. Iohannis Rose,  
fessoris in Academia Ienensi quondam  
laudatissimi, Fratri prescriptum.  
& opera M. Cyriaci Snegassij, Pa-  
Fridrichrodensis, in Sylva Sema-  
, & Superinten. Vinarientis  
Adjuncti.  
lia, Impensis Otthonis à Rißwick. 1593.

\*  
4239